



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**


**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

Ecclesia.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

quæ hic Lutheranis in memoriam redigantur. Plura apud P. Gregorium de Valentia in Opere controverſifico à fol. 233. P. Forerum, & alios contra Ubiquitas videri poſſunt.



## ECCLESIA.


**C**HRISTI Regnum eſt Eccleſia, qua pluribus modis ſuperat univerſa Mundi Regna; Auſtoritate, quia à Chriſto fuit condita, & in Sponſam dilectiſſimam aſſumpta: Vidi Civitatem Sanctam, Jeruſalem novam descendentem de Cælo paratam ſicut Sponſam ornatam viro ſuo. Apocal. 21. v. 2. Potentiâ & Robore: Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Matth. 16. v. 18. Flore & Uberratis felicitate: Florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætanda & laudans Iſai. 35. v. 1. & 2. Florebit ſcilicet Legibus & Præceptis optimis: Ceremoniis & Sacramentis ſaluberrimis: Sapientiâ & Scientia præſtantiſſimis: Gloria & Honore maximis: Virtute & Sanctitate pulcherrimis: Sanctis ac Beatis innumerabilibus &c. Cum igitur de Chriſto hæcenus egerimus, nunc ad ejus Regnum Eccleſiam progredimur, & tela, qua heretici in eam eſculantur, ſequentibus Controverſijs repellemus, & infringemus.



## CONTROVERSIAM XV.

QUID SIT ECCLESIA, ET  
quanam illius ſint Membra?

**D**E Eccleſia univerſim loquendo tria in quaſtionem veniunt. Quidnam ſit Eccleſia? Qualis ſit? & Quomodo vera DEI Eccleſia à falſis Sectis dignoſcatur? Nunc de Primo agere incipimus.



### PARS PRIOR

### DOCTRINA CATHOLICORUM.

**I.** Eccleſia eſt nomen Græcū, Latine idem, ac proinde ſignificat Cœtum, ſeu Congregationem Evocatorum. Triplex autem poſſimum eſt uſus in Sac. Scriptura ejus vocis. 1. ſed rariuſ pro loco, in quo evocati congregantur. Judith. 6. v. 21. Convocatus eſt totus populus, per totam noctem intra Eccleſiam orarunt. 2. Pro quocunq; Cœtu tam Fidelium quàm Infidelium Pſal. 25. v. 5. Odiſſi Eccleſiam malignantium; aliquando verò pro Cœtu Sanctorum tantum. Pſal. 149. v. 1. Laus ejus in Eccleſia Sanctorum. 3. Pro Cœtu Fidelium ſolum, vel univerſali per univerſum orbem, quo modo Chriſtus ad Ephes. 5. v. 23. dicitur Caput Eccleſie: vel particulari uniuſ Provinciae, ſic Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 1. Scribit: Eccleſia Dei, qua eſt Corin-

thi. Et ad Coloff. 4. v. 15. Eccleſia, qua eſt in domo Nymphae. Et quoniam hæc multitudo Fidelium partim adhuc in terris degit, ac continuo contra Mundum, Diabolum, & Carnem militat: partim jam in Cælo obtentis victorijs triumphat: partim in Purgatorio igne detinetur, ideo communiter apud Catholicos Eccleſia diſtinguitur in Militantem, Triumphantem, & Purgantem. Nos hic de Militante Eccleſia agere incipimus, hoc eſt, de Cœtu Fidelium unâ cum ſuo Capite, quantumvis ſubinde ſoli etiam Rectores appellentur Eccleſie, ut patet ex illo Math. 18. v. 17. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſie; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

**II. Doctrina Prima.** Eccleſia univerſalis eſt collectio Fidelium. Ita definiunt illam ſummi Pontifices Innoc. III. Capit. 1. de ſumma Trinit. & Nicolaus I. Diſt. 1. de Conſecratione c. 7. Et quoniam Eccleſia comparatur Corpori Chriſti, ad Coloff. 1. v. 24. Sicuti omnis Reſpublica dicitur Corpus morale, ideo ſinguli Fideles vocantur Membra Chriſti. Sed hinc jam ſurgit quaſtio, quid hoc loco ſignificent Fideles, an omnes & ſolos Baptizatos, etiamſi à Fide deſciant, Pontifici non obediant, in excommunicatione Eccleſiaſtica & cenſuris &c. exiſtant?

**III. Doctrina ſecunda.** Probabiliuſ videtur, Catechumenos, hoc eſt, animo credentes nondum tamen Baptiſmo ablutos, eſſe in Eccleſia. Ita Caſtro Lib. 2. de Hæretic. punitione. cap. 8. Suarez. Vaſquez & alij Probatur 1. Auſtoritate ſummarum Pontificum Innocentij & Gelafij, qui loco cit. Eccleſiam abſolute definiunt Congregationem Fidelium. Sed quicunq; vere credit, eſt fidelis, quantumvis nondum baptizatus. Idem Innoc. cap. 3. de Preſbytero non baptizato ſic diſcurrit, Non ſolum per Sacramentum Fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti aliquis proli dubio eſſicitur membrum Chriſti, & conſequenter Eccleſia. Summi Pontificibus adſtipulatur S. Auguſt. Tract. 4. in Joann. ubi docet, Catechumenos eſſe in Eccleſia. Probatur 2. Ratione: Tum quia ſi nemo eſt membrum Eccleſie, niſi Sacramentaliter ſit baptizatus, tunc multi fortiſſimi Martyres (quorum triumphis gloriatur Eccleſia) non fuiſſent membra Eccleſie; quippe ante Baptiſmum occiſi. Tum quia quicunq; eſt in tali ſtatu, in quo poſſet ſalvari, ille eſt in Eccleſia. Atqui multi ſunt in tali ſtatu, in quo poſſunt ſalvari, ſcilicet omnis, qui eſt in ſtatu gratiæ, quod ante baptiſmum accidere poſſet v. g. ſi in caſu neceſſitatis & periculi mortis deſit baptiſmi copia. Ergo multi non baptizati ſunt in Eccleſia. Majorem quidem negat Auſtor Libri de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 74. Sed contra omnes alios. Certè D. Ambroſius in obitu Valentiniani Imperatoris aperte affirmat, Catechumenos ſalvari poſſe, de quorum numero erat Valentinianus; jam enim vocaverat D. Ambroſium ad Baptiſmum ſibi impertiendum, ſed ante ejus adventum fuit occiſus.

**IV. Oppoſitum noſtræ doctrinæ tenent Card. Bellarm. Lib. 9. de Eccleſia c. 3. Valentia Tom. 3. D. 1. q. 1. punct. 7. §. 14. Tanner Tom. 3. D. 1. q. 3. n. 54. & alij. Nituntur maximè auſtoritate conciliorum tum Florentini in decreto unionis, tum Trid. ſeſſione 14. c. 5. ubi dicunt, Baptiſmum eſſe januam ad Eccleſiam. Adducit Bellarm. aliquos etiam Patres. Sed reſpon. duplicem eſſe modum exiſtendi in Eccleſia; unum imperfectum, & qua-**

ſi in

si in vestibulo: alterum perfectum, quasi in ipsis penetralibus Ecclesiae, cum plena facultate fruendi Sacramentis, & alijs commodis Ecclesiae; hoc posteriori modo Catechumeni non sunt in Ecclesia, & idcirco olim ante consecrationem Missae à Diacono excedere Templo iussi fuerunt: sed priori modo sunt in Ecclesia. Neq; hoc negant Concilia & Patres de priori solum modo existendi in Ecclesia locuti.

V. Urgent. Qui non ingressus est per januam, nondum est in Ecclesia; sed Catechumeni non sunt ingressi per januam, Baptismum scilicet. Ergo, &c. Respon. Distinguendo Majorem; qui non est ingressus per ullam januam in Ecclesiam, concedo: qui est ingressus per aliquam januam, saltem extimam, non est in Ecclesia, nego. Nam sicut in materialibus templis plures sunt januae; una extima per plateam: altera interior in domum, ita in Ecclesia spirituali plures sunt januae spirituales; una extima scilicet Fidei: alia intima, scilicet Baptismi. Catechumeni ingressi sunt in Ecclesiam non quidem per istam intimam: at bene per illam extimam, quod sufficit ad salutem in casu necessitatis.

VI. Instat P. Tanner. Sicut Civis, inquit, absolute non est, qui in Album civium nondum est relatus; utcumq; interim iuribus ac privilegijs civium fruatur, ita etiam Catechumenus non est in Ecclesia, licet aliquem accessum ad eam habeat. Respon. negando paritatem; quia primariam civis rationem non participat, qui albo civium non est inscriptus, sicuti tamen Catechumenus habet jam fidem, à qua Ecclesia fidelium quam maxime constituitur.

VII. Confirmatur jam meliori instantia doctrina nostra per Arcam Noë, quae fuit figura Ecclesiae: Nam sicuti extra istam arcam nemo potuit tueri vitam corporalem, ut ait Hieronymus relatus in iure Canon. can. 26. caus. 24. q. 1. ita nemo potest salvari in vita spirituali animae extra Ecclesiam, ut docet Concil. Lateranense sub Innoc. III. Cum ergo Catechumeni absolute salvari possint, intra Ecclesiam sint, necesse est. Bellarm. concedit Catechumenos esse in Ecclesia voto seu desiderio, non autem re ipsa & actu. Sed nunquid Arca re ipsa erat necessaria ad salutem corporis? Cum igitur in hoc proprie figuraret Ecclesiam, omnis, qui in anima salvatur, re ipsa & actu in illa existit, esto non omniperfectiori modo.

VIII. *Doctrina Tertia.* Solus Baptismus absque vera interna fide non sufficit ad constituendum membrum Ecclesiae. Ita Suarez, in 3. P. Tom. 4. D. 52. Sect. 2. Tanner. q. cit. à n. 52. & plerique alij Catholici D. D. Probatur. Tum quia vinculum, quo membra inter se colligantur, debet esse internum, & spirituale, ut ait S. Thom. in Epistolam ad Rom. c. 12. Sed absque interna fide non est aliquid spirituale internum. Ergo non est vinculum, quo membra inter se colligantur. Tum quia si haeretici absque vera fide interna, & per hujus simulationem hypocritae essent vera Ecclesiae membra, tunc Ecclesia non esset una. Consequens est contra fidem, quam profitetur symbolum Nicenum. Ergo & antecedens. Probatur Maj. quia Unitas Ecclesiae defumitur ab unitate Fidei, ut inferius constabit. Atqui haec Fides non esset una, sed varia inter Baptizatos; una scilicet Catholicorum, alia Lutheranorum, alia Calvinistarum, &c.

Tum quia si solus Baptismus ejusq; character faceret membrum Ecclesiae, multi damnati in inferno essent membra Ecclesiae, cum character Baptismatis in illis maneat, ut dicemus in Controv. de Baptismo. Absurdum autem est, damnatos aliquos adhuc esse membra Ecclesiae, cum nec in Triumphante, nec Purgante, nec Militante Ecclesiae locum habeant.

IX. Confirmatur exemplo materialium aedificiorum, in quibus nihil esse dicitur, quod non nititur illorum fundamentis. Unde sic ratiocinari possumus. Qui non insistit fundamento Ecclesiae, non est in Ecclesia. Sed qui veram internam fidem vel omnino non habent, ut haeretici Baptizati, vel hanc solum simulant, & non sincere credunt, ut hypocritae, non insistent fundamento Ecclesiae. Ergo non sunt in Ecclesia. Major constat ex allata instantia. Min. probatur; quia fundamentum Ecclesiae est doctrina Apostolorum juxta illud D. Pauli ad Ephes. 2. v. 20. *Jam non estis hospites & advena, sed estis cives sanctorum & domestici Dei superaedificati super fundamentum Apostolorum ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coaedificamini in habitaculum spiritus & in spiritu.* Sed haeresis & falsa fidei simulatio absque vera interna Fidei virtute non aedificantur in Spiritu super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Ergo, &c.

X. Huic Doctrinae nostrae opponit se Cosmas Magallianus Lusitanus in Comment. Epist. 2. ad Timoth. c. 2. n. 20. Et in Epist. ad Titum c. 3. v. 5. ratus, solum characterem baptismalem absque fide sufficere ad constituendum membrum Ecclesiae, ac proinde etiam apertos haereticos legitime tamen baptizatos esse in vera Ecclesia constituendos, cui favet Cornelius à Lapide in Epistolam. 1. ad Corinth. cap. 1. v. 12. Nititur his argumentis. I. Quicumq; subjecti sunt jurisdictioni Ecclesiasticae illi sunt in Ecclesia. Sed omnes baptizati & infideles subjecti sunt jurisdictioni Ecclesiasticae. Ergo sunt in Ecclesia. 2. Zizania sunt in agro Ecclesiae. Matth. 13. & vasa fictilia sunt in domo Ecclesiae. 2. ad Timoth. 2. v. 20. Sed infideles baptizati sunt Zizania, & vasa fictilia. Ergo Infideles baptizati sunt in Ecclesia. 3. Qui sunt fratres, sunt filij ejusdem Matris Ecclesiae. Sed Infideles baptizati sunt fratres nostri, ut eos appellat S. August. L. contra donatum post collationem c. 35. Ergo sunt filij ejusdem Matris Ecclesiae.

XI. Sed haec opinio est contra communem Patrum Tertull. Cypriani, Ambrosij, Augustini, &c. quorum testimonia & loca affert Valentia Tom. 3. D. 1. Q. 1. S. 14. Et rursus in Opere contro. fol. 27. Respon. igitur ad 1. negando Majorem, quia Ecclesia non solum habet jurisdictionem in eos, qui actu sunt in Ecclesia, sed etiam, qui deberent esse in Ecclesia vi primae promissionis, quae saltem virtualiter fit in baptismo; etenim qui baptizatur, hoc ipso fatetur, se Christo velle parere, & consequenter ejus vices agent Ecclesiae; perinde ut belli dux habet potestatem non solum in eos, qui actu sunt in castris, sed etiam in eos, qui deberent adesse, quia nomen suum militiae dederunt. Ad 2. negando Min. si enim per zizania & vasa testacea cum August. velimus intelligere haereticos, tum cum eodem S. Patre per agrum vel domum non deberemus intelligere Ecclesiam, sed mundum

mundum. Verum quia Christus non totum mundum, sed regnum Cœlorum tali Domui vel Agro comparavit, probabilius per hoc intelligitur Ecclesia; & si illud tenere velimus, tunc per Zizania & vasa testacea non hæretici, sed solum mali Catholici intelligi debent. Ad 3. Negando Maj. quia omnes homines sunt fratres inter se respectu unius Patris & Creatoris, & tamen Paulus negat, sibi iudicium competere in eos, qui foris sunt, scilicet Gentiles, qui nec sunt in Ecclesia, nec vi baptisimi & suæ promissionis esse deberent.

XII. Eidem nostræ doctrinæ fortius se opponit Card. Bellarm. Lib. 3. de Ecclesia cap. 2. & 10. Ubi vehementer contendit, hæreticos occultos, qui nec fidem internam, nec ullam Christianam virtutem habent, & tamen exterius fidem Catholicam profitentur, & communione Sacramentorum veris Fidelibus permiscetur, veras esse partes, adeoque etiam membra Ecclesiæ, licet arida & mortua. Movetur 1. Auctoritate Patrum, qui copiose adducti occultos hæreticos in Ecclesia Dei esse affirmant. 2. Si fides interna requireretur ad constituendum membrum Ecclesiæ, tum Ecclesia esset invisibilis, consequens dici non potest. Ergo nec Antecedens. Maj. patet, quia fides latet in animo, nec oculis cerni potest. Min. infra constabit. 3. Quicumque egrediuntur ex Ecclesia, prius fuerunt in Ecclesia. Sed hæretici patefaciendo suam hæresin prius occultatam egrediuntur ex Ecclesia. Ergo prius fuerunt in Ecclesia. Major per se patet. Min. probatur ex Epist. 1. Joan. c. 2. v. 19. ubi sic ait: *ex nobis prodierunt* (scilicet hæretici, quos vocat Antichristos) *sed non erant ex nobis; Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quia non sunt omnes ex nobis.* 4. Si occulti hæretici non essent membra Ecclesiæ, tunc si aliquis Episcopus esset clam hæreticus, non haberet ullam jurisdictionem Episcopalem. Consequens dici non potest. Ergo nec Antecedens. Probat Majoris sequela. Habens jurisdictionem Episcopalem est caput Ecclesiæ. Sed qui non est membrum Ecclesiæ, non potest esse illius Caput. Ergo qui non est membrum Ecclesiæ, non habet jurisdictionem Episcopalem. Probat jam Min. ex absurdo; etenim cum sciri non possit, utrum Episcopus verè interius credat, semper dubia foret ejus Jurisdictio, & consequenter omnes actus Episcopales essent suspensi & dubij, cum magna perturbatione Ecclesiæ. 5. Si ad constituendum membrum Ecclesiæ requireretur fides interna, tunc Christus non esset Caput Ecclesiæ. Consequens est contra Fidem, ut omnes docent Theologi ex eo, quod hæc cum clarâ Dei visione non consistat, quam habebat Christus à primo Conceptionis tuæ instanti. Min. probatur ex illo Apostoli ad Ephes. 4. v. 15. ubi Christum vocat *Caput totius corporis Ecclesie.* 6. Denique omnes Apostoli fuerunt in Ecclesia; quia inter præcipua Ecclesiæ membra fuerunt 1. ad Corinth. 12. v. 28. Sed quidam ex illis fuit infidelis, Judas scilicet, qui non credidit in Christum Joan. 6. v. 67. *Sunt quidam è vobis, qui non credunt; sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, & quis cum traditurus esset.*

XIII. Hæc quidem faciunt opinionem Card. Bellarmini probabilem, sed modus loquendi melior, magisque receptus est, occultos hæreticos, absolute loquendo, non esse in Ecclesia tanquam hujus membra, ut bene Tanner n. 52. cit. ubi pro nobis etiam allegat alios Auctores. Nam fides est

fundamentum ædificij spiritualis Ecclesiæ, 1. ad Corinth. 3. v. 11. & in Catechismo Rom. verè Christi Ecclesia vocatur *Fidelium Cætus.* Atque ibidem ex D. August. in Psalm. 149. *populus fidelis per univèrsam orbem dispersus.*

XIV. Itaque Respon. ad 1. Patres solum vel le, occultos hæreticos esse in Ecclesia apparenter, non realiter, sicut eburneus dens est in gingiva. Unde pulchrè D. August. eisdem dicit, *esse tantum dealbatos Christiano nomine.* Lib. 1. Contra Epist. Parmeniani cap. 7.

Ad 2. cum Tannero q. cit. 87. Fidem esse quidem per se invisibilem, attamen per signa externa fieri visibilem, ut saltem in genere sciatur, in hoc cætu hominum esse quosdam verè Fideles, quantumvis in particulari non certò constet, an hic vel ille verè credat; illa autem scientia generalis fit certa ex Notis infra tradendis, miraculis, vitæ Sanctitate &c.

Ad 3. distinguendo Majorem. Quicumque egrediuntur ex Ecclesia, fuerunt in ea saltem corporaliter, & apparenter, Concedo: verè & simpliciter Nego. Non quod hæretici nunquam fuerint de Ecclesia, ut volunt Beza & alij Sectarij, sed quod ab initio quidem rectè crediderint, sed postmodum apostatârunt, atque ex Ecclesia Christi emerferint hæretici, tanquam vomitus è stomacho. Negans autem Joannes Apostatas esse ex suis, de solis prædestinatis loquitur.

Ad 4. negando Majorem. Nam sicuti excommunicati, ita isti retinent jurisdictionem Ecclesiasticam, quamdiu manent occulti juxta declarationem Concilij Constantiensis, ut videre est apud Sanchez. Lib. 3. de Matrimonio D. 21. Ad probationem dicimus cum Tanner. n. 59. licet in Naturalibus impossibile sit, ut aliquid sit caput, & non membrum, tamen in moralibus & metaphoricè id absurdum non esse; quia similitudo capitis non in omnibus partibus procedit, sed tantum in præstantia, & dignitate. Unde & Leo dicitur Caput bestiarum, etiam si non dicatur earum membrum.

Ad 5. S. Thomam apertè docere 3. P. q. 8. a. 5. Christum esse Caput Ecclesiæ, non Membrum; quippe influxum omnibus membris præstat, non verò ab ullo more membrorum recipit; imò si Christus fuisset Membrum, ex mente Bellarmini characterem baptisimi & externam fidei professionem habuisset, quod tamen ipsemet non dicit.

Ad 6. deniq; negando Maj. Nam Judas tempore infidelitatis non fuit in Ecclesia; quando autem Paulus adeo extollit Apostolos, ut præcipua Ecclesiæ membra, loquitur solum de ijs, qui constanter usq; ad finem perseverarunt, id quod non præstitit Judas, deserendo Christum, quando in ultima cœna ad illum tradendum discessit nunquam rediturus.

XV. *Doctrina quarta.* Schismatici purè accepti sunt in Ecclesia. Ita Castro Lib. 2. de Hæret. punitione c. 24. Dixi purè schismatici; qui scilicet præcisè non volunt obedire Romano Pontifici; siquidem ipsi non sufficienter constat, hunc vel illum esse legitime electum Papam; quantumvis alias credant, dari summum Pontificatum, sicuti olim sæpe fiebat, Electoribus inter se discrepantibus, & alijs alium Papam eligentibus; sic tempore Concilij Constantiensis ante annos circiter ducentos tres simul fuerunt electi Pontifices: Joann. XXIII. Benedictus XIII. & Gregorius XII. unde magna pertur-

perturbatio Ecclesiæ nara est, alijs alijs adhaerentibus. Quapropter Concilium publicæ pacis causâ omnes tres depofuit, & eorum loco Martinum V. elegit. Quod si schismatici ideo recufent Romano Pontifici obedire, quod non credant, in Ecclesiâ dari summum Pontificem, tunc sunt hæretici, & juxta dicta hoc ipfo jam ab Ecclesiâ exclusi.

XVI. De prioribus igitur folùm procedit doctrina noſtra; cujus ratio est. Quia schismatici puri ex communi ſententiâ hæretici non ſunt. Nam ad hærefin formalem duò requiruntur. Primum. Ut objectum fide divinâ credible ſufficienter applicetur, ita ut cognofcatur obligatio credendi. Alterum, ut poſſit in foro externo probari diſſenſus & ſufficiens applicatio; utrumq; horum apud ſchismaticos plerumq; deeft; quia licet objectum fit fide divinâ, credible, ſpeculative loquendo, utpote re ipſâ ſubſtans divinâ revelationi, practice tamen non eſt cuilibet intellectui proxime credible. Interim non negaverim, ſchismaticos pertinaces de hærefi ſuſpectos eſſe poſſe. Hinc confirmatur noſtra doctrina. Sicut ſe habet civis inobediens erga ſuum Magiſtratum, ſic ſe habet fidelis ſchismaticus erga Pontificem. Sed civis non ideo amittit jus civitatis. Ergo nec talis ſchismaticus amittit jus Eccleſiæ.

XVII. Huic doctrinæ iterum adverſatur Card. Bellarminus Lib. 3. cit. c. 5. hiſce argumentis. 1. Luc. 5. v. 7. ſcindebatur autem rete. Ubi per ſciſſionem retis & egreſſionem piſcium ex reti intelliguntur ſchismata Eccleſiæ; & egreſſio hæreticorum & ſchismaticorum de Eccleſiâ, ut exponit Auguſt. Tract. 122. in Joanni. Prætereâ S. Scriptura vocat Eccleſiam unum Ovile Joan. 10. v. 16. unum corpus, ad Rom. 12. v. 5. unam Sponſam; unam Amicam; unam Columbam; Cant. 6. v. 8. Schisma autem ſcindit, quod erat unum, in partes. 2. Patres ponunt ſchismaticos extra Eccleſiam, ſicuti etiam Catechiſmus Romanus in expoſitione Symboli. 3. Quia omne Membrum Eccleſiæ debet eſſe unum Capiti. Sed tales ſchismatici adherentes tali falſo Pontifici, ſeu Antipapæ non ſunt uniti capiti. Ergo non ſunt Membra Chriſti.

XVIII. Reſpond. ad 1. S. Scripturam loqui de ſchismaticis hærefi infectis, qui verè factâ ſciſſurâ egreſſi ſunt ex Eccleſiâ, ſeq; ab ea ſeparârunt, id quod non faciunt ſchismatici purè obedientiam negantes tali Pontifici, cujus legitimam electionem non ſufficienter cognovimus, ut ut alias in Eccleſiâ ſumum Pontificem agnoſcant. Ad 2. Patres quoque loqui de ſchismaticis jam in hærefin collapſis, quod ex eo colligitur, dum dicunt, illos eſſe extra veritatē, quomodo ab hac abeſtrant hæretici. Catechiſmi Romani non eſſe auctoritatem infallibilem, nec plus illum valere quàm privatam quorundam DD. opinionem; cum non ex Pontificia auctoritate, ſed privata quorundam TT. operâ conſectus fit, ut ait Vaſq. 3. P. Tom. 3. D. 198. n. 102. & ſæpius reſutatur à TT. Ad 3. tales ſchismaticos manere unitos capiti per unitatem fidei, licet non per debitam ſubjectionem; unde abſolutè non ſe ſeparant, ſicut hæretici, ſed ſufficienter ita uniti manent, ut inter Fideles rectè numerentur: nec bene transfugis & ejectis de Republ. ut vult Tanner. n. 52. cit. ſed inobedientibus ſolùm & immorigeris civibus comparantur.

XIX. Doctrina quinta. Excommunicati Fideles, non obſtante eorum excommunicatione, propter fidem manent in Eccleſiâ. Probatur Tum

Auctoritate S. Auguſt. L. contra Donatiſtas poſt Collation. c. 20. ubi dicit: *neq; enim à populo Dei ſeparamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem patientiam locum redigimus.* Tum quia excommunicatione eſt quædam Medicina Spiritualis, quæ utique non niſi in utilitatem domeſticorum Fidei adhibetur. Quid autem Eccleſiæ cum ijs, qui foris ſunt, ut ab infirmitatibus ſuis ſanentur, 1. ad Corinth. 5. v. 12. Tum quia eodem argumento, quo ſupra pro doctrina ſecundâ, ſic arguimus. Quicumque eſt in tali ſtatu, in quo poteſt per fidem ſuam ſalvari, ille eſt in Eccleſiâ, extra quam non eſt ſalus. Sed Fidelis excommunicatus eſt in tali ſtatu, in quo poteſt ſalvari, v. g. ſi moritur contritus, & non habet copiam Sacerdotis, qui illum abſolvat ab excommunicatione. Ergo non obſtante excommunicatione manet in Eccleſiâ.

XX. Rurſus Bellarm. à nobis diſſentit L. 3. cit. c. 6. allegans pro ſe Catechiſm. Rom. Thomam Waldenſem. Turrecrematam, & alios. Movetur t. ex ſcript. Matth. 18. v. 17. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ubi Chriſtus de excommunicatione loquitur juxta communem interpretationem. 2. Auctoritate Patrum. Eusebius L. 5. Hiftoriæ c. 24. narrans, quemadmodum Viſtor Papa excommunicaverat omnes Aſianos: *litteras, inquit, mittit, quibus omnes ſimul abſq; diſcretionem, ab Eccleſiaſtico ſedere ſegregaret.* Et infra: *Irenæus, ait, Viſtorem arguit, quod non rectè fecerit abſcindendo à corporis unitate tot ac tantas Eccleſias Dei.* 3. Ex ratione. Quia membrum à cæteris reſectum non eſt amplius membrum corporis. Sed excommunicati ſunt à cæteris membris reſecti. Ergo non ſunt amplius membra Eccleſiæ: Major patet ex Phyiſicis membris animalium; & quando adhuc vocantur illorum membra, ampliatiè intelligitur, quod eſt, vel fuit &c. Min. conſtat ex effectibus excommunicationis, quæ interdicitur omnis communicatio & conjunctio cum Fidelibus.

XXI. Sed hæc, licet probabiliter reddant oppoſitam ſententiâ, non tamen evertunt noſtram doctrinam; cui planè favet Concilium Conſtantiense, quod occultis excommunicatis etiam familiaritatem, & commercium cum alijs Fidelibus ſponte ſe offerentibus indulto permittit, ut docent Theologi Morales & Canoniftæ, qui etiam aliquos Caſus excipiunt, ubi licitum fit excommunicatis ultro ſe ingerere commercio Fidelium; adeoque non penitus interdicta eſt omnibus communicatio cum fidelibus. Unde

XXII. Reſpond. ad 1. Matth. 18. Dominum non velle, ut excommunicatus prorsus ſit ſicuti Ethnicus; alioqui etiam ſalvari extra Eccleſiam non poſſet, ſed ſolùm quoad exteram communicationem cum Fidelibus; quod ipſum etiam dicimus ad 2. & 3. probationem ex P. P. & Ratione. Talis igitur adhuc ex communi unitus manet Eccleſiæ Membris per conſenſum fidei, eſt eorum commercio ſit privatus, perinde fere, ut civis incarceratus & aliorum concivium familiaritate privatus nihilominus manet in Civitate, intra quam eſt carcer.

XXIII. Doctrina ſexta. In Eccleſiâ Chriſti tantum membra hujus ſunt non ſolùm juſti & prædeſtinati, ſed etiam Peccatores & Reſprobi Ita ſentiunt omnes Catholici ex Concilio Conſtantiensi. Seſſ. 15. c. Firmiter. de ſum. Trinit. & Fide Cath. & Trid. ſeſſ. 6. can. 28. ubi damnantur, *qui dixerint, eum, qui fidem ſine charitate habet: non eſſe*

Christia-

*Christianum.* Probat<sup>r</sup> 1. ex script. in qua Ecclesia comparatur Aræ triticum simul & paleas continenti Matth. 3. sagenæ omne genus piscium congreganti Matth. 13. Convivio Nuptiali, in quo etiam repertus fuit carens veste nuptiali Matth. 22. Item decem virginibus partim prudentibus, partim fatuis Matth. 25. Magnæ Domui, in qua omnis generis vasa 2. ad Timoth. 2. Arce Nôe, in qua munda pariter & immunda animalia, & extra quam nulli salus 1. Petri 3. & apud August. L. 3. de Baptif. c. ult. Probat<sup>r</sup> 2. Ratione. Tum quia Ecclesia est quædam Congregatio visibilis. Ergo cum prædestinatio & interna sanctitas sint planè occultæ, non soli prædestinati & iusti in Ecclesia esse, eamquæ velut membra constituere possunt. Tum quia Baptizati Fideles, quantumvis peccatores, hoc ipso quod fidem continent, nec à Capite, nec à Corpore Ecclesiæ separati sunt, sicuti etiam nonnullæ partes animalis, ut sanguis cæterique humores sunt veræ partes corporis humani, etiamsi non vivant, multoque magis ossa, etiamsi vitâ sensitivâ non vivant, sed solum vegetativâ.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXIV. **E**rror primus est. Ecclesiam esse Congregationem prædestinatorum, vel hominum perfectorum: vel eorum, qui nunquam sunt lapsi circa confessionem Fidei. Ita quoad primum Wicleff. & Huss. apud Waldensem Tom. 1. L. 2. c. 8. & 9. quoad alterum Pelagiani apud D. Aug. in hæresi 88. quoad ultimum Novatiani, ut testatur Cyprianus L. 4. Epist. 2. & Donatistæ apud August. L. de hæresibus, c. 69. Fundamentum horum omnium est inepta persuasio, quasi fidem veram habeant vel soli prædestinati, vel soli iusti, vel quasi homo eò iustitiæ pervenire in hac vita possit, ut absque omni peccato vivat.

XXV. Hunc errorem in Doctrina 6. jam rejectum sic ulterius refutam<sup>s</sup>. Ecclesia Militans est verè & propriè Christi Domini Regnum, ut constat ex Actorum 1. v. 3. & alijs locis novi testamenti. Atqui Regnum sæculare habet subditos Nobiles, plebeos, Rusticos, Divites, Pauperes, Bonos, Malos &c. Ergo & in Spirituali Regno Christi sunt spiritualiter Nobiles & ignobiles, Divites & pauperes &c. hoc est, tam peccatores quam sancti &c.

Non obstat, quod Apost. ad Ephes. 4. v. 16. solam Charitatem pro anima hujus corporis assignet. Nam vitæ spiritualis & supernaturalis triplex gradus datur. 1. est Charitatis & Gratiæ, quo meliores quique diriguntur. 2. est timor gehennæ, quo plures à vitijs avocantur. 3. est Fidei & Confidentiae, quo non pauci in Deum credunt, ac confidunt; nec tamen à vita mala & perversis moribus absterrentur, licet iste quoque vitæ gradus non nisi à Spiritu S. provenire possit, utut infimus sit. Apostolus igitur ad Ephes. 4. primos solum sive qui charitate aguntur, dicit esse Corpus. (id est Ecclesiam) Christi; intellige nobilissimam & perfectissimam partem per modum finis intentam, ut bene in eum locum Apostoli Cornelius à La-

pide; ideo quippe vocantur omnes ad Ecclesiam & Fidem, ut in ea ex carnalibus & animalibus spirituales evadant.

XXVI. *Error Secundus.* Ecclesia est totus Vocatorum cœtus, sub diversa tamen consideratione; nempe Vocationis & externæ societatis, quæ in fidei professione & sacramentorum usu consistit: & internæ societatis, quæ in regeneratione & renovatione Spiritûs consistit. Vel sub respectu quoad modum existendi externum: & quoad modum existendi internum. Ita Lutherani apud Gerhardum L. 2. P. 1. à fol. 804. Ubi priorem modum diversæ considerationis assert. Et Calvinistæ apud Amesium Tom. 2. à fol. 46. ubi posteriori considerationis respectum usurpat. Utrique incidunt in errores Wicleff, Pelagianorum, & Novationorum recens rejeçtos; Lutherani quidem, quia docent, 1. nulla esse peccata venialia ex sua natura, 2. Ecclesiam invisibilem esse Cœtum eorum, qui verè credunt & obediunt Deo, 3. omnia opera horum esse mortalia, licet præsentè fidei pro talibus non imputentur, & sic omnes sint iustissimi. Calvinistæ verò, quia volunt internam Ecclesiam constare solis prædestinatis, & fidem semel habitam amitti nunquam posse. Porro tam hi, quam illi volunt, in Ecclesia externa existere bonos & malos etiam hæreticos (saltem ut partes secundum Gerhardum) in interna solos credentes justos, & quidem prædestinatos secundum Amesium; Unde Calvinus L. 4. Instit. c. 1. §. 3. ait, *veram Ecclesiam à solo Deo cognosci posse, ejusq. fundamentum esse divinam electionem.*

XXVII. De hac interna ac invisibili Ecclesia universim Sectarij loqui arbitrantur S. Scripturam, quando Ecclesiam appellat pulchram, sanctam, immaculatam. Cant. 4. v. 7. *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* ad Ephes. 5. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret lavacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Apoc. 21. v. 21. *vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de caelo.* Isai. 35. v. 8. *quia sancta vocabitur, non pertransibit per eam pollutus.* Quæ encomia planè non conveniunt Ecclesiæ ex malis & bonis permixtæ.

Idem conantur per consequentias ex alijs Sac. Scripturæ locis deducere Matth. 16. v. 18. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* unde sic ratiocinantur. Qui ædificatus est super arenam, non est in Ecclesia. Sed impij super arenam ædificati sunt, Ergo non sunt in Ecclesia. Mai. constat ex cit. verbis Christi asserentis, se totam Ecclesiam ædificaturum super petram. Min. probatur ex Matth. 7. v. 26. *qui audit verba hæc, & non fecit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.* Ad Hebr. 3. v. 6. ait Apostolus: *Christus verò tanquam Filius in domo suâ: que domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usq. ad finem firmam retineamus;* unde sic discurrunt. Qui non perseverant usq. ad finem, non sunt partes domus, quæ est Ecclesia, sed qui non sunt prædestinati usq. ad finem, non perseverant. Ergo non sunt partes Ecclesiæ. Mai. patet ex cit. Apostoli verbis, ubi neminem admittit in domum Dei, nisi sub conditione finalis perseverantiæ, Min. probatur ex Matth. 24. v. 13. *qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Sed nemo salvus erit, nisi prædestinatus. Ergo nemo perseverat usque in finem, nisi prædestinatus.

Idem

Idem Apost. ad Róm. 8. v. 30. *quos vocavit, hos & justificavit, quos vero justificavit, illos & glorificavit.* Unde sic inferunt. Quicumq; sunt in Ecclesia, sunt à Deo vocati, sed nullus reprobus aut impius est à Deo vocatus. Ergo nullus talis est in Ecclesia. Mai. pater ex ipso nomine Ecclesiae, quæ significat vocatos à Deo. Min. liquet ex cit. verbis Apost. cum ait, omnes vocatos à Deo justificari, & glorificari, quod solis prædestinatis convenit. Joan. 8. v. 24. *vos ex parte Diaboli estis, & Joan. 3. v. 8. qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Ibidem v. 9. & 10. *omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare. In hoc manifesti sunt Filij Dei, & filij Diaboli, omnis qui non est iustus, non est ex Deo.* Unde sic concludunt. Membra Diaboli non sunt membra Christi. Sed omnes peccatores sunt membra Diaboli. Ergo nulli peccatores sunt membra Christi, & consequenter nec Ecclesiae, quæ est corpus Christi. Min. constat ex locis cit. Apostoli. Major constat ex illo Pauli, 2. ad Corinth. 6. v. 15. *quæ conventio Christi ad Belial?*

XXVIII. Confirmant 1. ex ipso nomine Militantis Ecclesiae. Qui non pugnant contra hostes Dei, non sunt in Ecclesia Militante. Sed peccatores non pugnant contra hostes Dei, sed potius contra ipsum Deum. Ergo non sunt in Ecclesia Militante. Confirmant 2. ex quibusdam dictis Patrum, qui omnes peccatores ab Ecclesia excludere videntur. Ex quibus Hierony. in Comment. ad Ephef. 5. in illud v. 24. Ecclesia subiecta est Christo: *Ecclesia, inquit Christi gloriosa est, non habet maculam, neq; rugam, neq; aliud huiusmodi.* Qui ergo peccator est, aut aliqua forde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici. Confirmant 3. Ex ratione. Id quod Ecclesiae membris intrinsecè largitur vitam spiritualem, quâ in Christo vivunt, & Christus in ipsis, per illud etiam formaliter ea membra constituuntur in esse membrorum. Atqui fides illa specialis, quâ Christi meritum apprehenditur (quamq; individuo nexu comitatur sanctitas interna) largitur Ecclesiae membris intrinsecè vitam spiritualem, quâ in Christo vivunt, & Christus in ipsis. Ergo per eandem Ecclesiae membra constituuntur formaliter in esse membrorum. Confirmant 4. ex ipsis Pontificijs, quos, inquit Musæus th. 25. ut hinc nostræ sententiæ calculum adijcerent suum, veritatis vis coegit. Confirmant denique 5. ex rejectione similitudinum pro assertione nostra supra allatarum, quas plerasque ferè explicandas ajunt de toto mundo: illam verò de convivio nuptiali apud Matth. de Ecclesia Triumphante.

XXIX. Hunc errorem à Wicleffo, ut jam dixi, olim sparsum, & à Concilio Constantiensi damatum copiosè Card. Bellarm. Lib. 3. cap. 7. 8. & 9. refutat. Nos præter allata doctrinâ 6. eundem rejicimus etiam ex Paulo 1. Corinth. 5. ubi Apost. v. 1. ait. *omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat &c.* & tamen ille erat adhuc in Ecclesia; cum v. 2. Apostolus addat: *ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Nobile etiam testimoniū contra istum errorem affert D. Cypria. Epist. 3. ad Maximum, ubi scribit: *impediri non debet aut fides aut charitas vestra, ut quoniam zizanij in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus; ubi aperte loquitur de non-prædestinatis (quibus tanquam zizanij selecti tanquam triticij opponuntur) hos*

est, de imperfectis & peccatoribus. Accedit, quod Lutherani & Calvinistæ (universim, non particulatim loquendo) vi doctrinæ ac fidei suæ excusato omni Ecclesiae Catholicae vinculo ac freno carni & sanguini vehementer sint immerisi, terrena sapiant, & in omni vitæ licentia vivant. Quis ergo sapiens sibi persuadeat, illorum cœtum seu Ecclesiam constare solis Sanctis aut Electis, qui charitate & Spiritu DEI agantur? Certè nihil penitus apud illos apparet, ex quo aliquis talem Sanctitatis & electionis Ecclesiam possit prudenter conijcere, atque adeo velit illam audire, ab illa doceri, illi obedire &c.

XXX. Ex prædicto errore rectè advertunt Bellarm. loc. cit. cap. 2. & alij inferri, duas esse Ecclesias; unam veram, quæ est Sanctorum Fidelium congregatio: alteram externam, quæ nomine tantum est Ecclesia, & in qua mali ac boni reperiuntur; unde ajunt Novatores, *malos esse in Ecclesia: non de Ecclesia.* Amesius fol. 46. ægerrimè hoc ferens exclamat: *calumnia est manifestata, quod impingatur Lutheranis & Calvinistis duarum Ecclesiarum militantium fictio.* Verum rem ita se habere, manifestè ostenditur. Nam Ecclesia propriè dicta: & Ecclesia (ut Adversarij loquuntur) Synecdochicè dicta vel constituunt unam Ecclesiam propriè dictam; & hæc est mens Catholicorum admittentium unam Ecclesiam propriè dictam constantem justis & peccatoribus: vel constituunt unam Ecclesiam impropiè dictam, & hoc dici non potest; quia sic non daretur Vna Sancta Catholica propriè dicta Ecclesia in Sacra Scriptura & Symbolo expressa. Si ergo duas Ecclesias constituunt. In quo? Aut constituunt duas, quorum utraque sit propriè dicta: vel una propriè, altera impropiè sit dicta? quid quid ex his admittitur, duæ admittuntur Ecclesiae; siquidem nullam formam aut quasi formam, quæ Ecclesiam constituat, assignare possunt singulis membris comunem, uti nos Catholici facimus. Et ubi calumnia contra Lutheranos & Calvinistas? Profectò omnibus retro annis iste fuit communis omnium sensus, eos omnes, qui veram fidem in Christum habent, vera esse membra Ecclesiae Christianæ, ac Fideles haberi. Aut producant Sectarij vel unicum, qui ab annis 1500. cum ipsis senserit, & Ecclesiam sub tali consideratione & respectu dividerit.

XXXI. Similiter Joannes Musæus in tract. de Eccles. th. 14. calumniæ postulat P. Franc. Suarezium, quod Scripserit, Lutheranos idem ferè sentire, quod Cathari, Pelagiani, & Donatistæ, qui juxta D. Augustinum docuerunt, solos justos esse de Ecclesia. Nam, inquit Jansenius Prædicans, *In membris Ecclesiam constituentibus non exigimus immunitatem ab omnibus motibus concupiscentiæ indeliberatis, sed tantum ne peccatis contra conscientiam patris sint contaminati.* Verum etiam Cathari, Pelagiani, & Donatistæ non censuerunt peccata esse illos indeliberatos concupiscentiæ motus, sed solum ea, quæ advertenter & liberè contra legem DEI æternam admittuntur. Ergo quoad rem ipsam & articulum de membris Ecclesiae prorsus idem sentiunt hodie Lutherani, quod olim Cathari, Pelagiani, & Donatistæ; siquidem non minus illi, quam isti è numero membrorum Ecclesiae arcent non-Sanctos; quantumvis in cæteris diversimodè errent. Ubi ergo calumnia, cujus à Musæo alijque Sectarijs jure postulat Suarezium? Si

etiam Lutherani adeo longè absint à Catharis & Pelagianis, cur Musæus non saltem umbram disparitatis ostendit? scilicet non est aliud discrimen, nisi quod Cathari in sua Sanctorum Ecclesia non tolerassent excuculatum Monialis stupratorem, qualem tamen illi in pretio habent, ac venerantur.

XXXII. Respondetur nunc ad Argumenta Adversariorum, quæ supra §. XXVI. & seqq. doctrinæ nostræ opposuerunt. Ad 1. ex quibusdam Sac. Scripturæ locis depromptum, quibus pulchritudo Ecclesiæ, id est, Sponsæ prædicatur. Duos primos locos, id est, Canticorum, & Epist. ad Ephes. absolute de Ecclesia Triumphante intelligit D. August. Lib. 2. Retraçtat. cap. 18. De Militante etiam verum est, si Doctrinam, Leges, & Sacramenta, item nobiliora ejus membra Spectemus; sic Parisios, Venetias, Antuerpiam, Hispali, Londinum, Amsterlodamum divites urbes vocamus, non quod omnes, sed quod plurimi in eis divites sint. In eundem modum Ecclesia Apocal. 21. vocatur *Sancta*. à quibusdam Sanctis semper in ea degentibus: dicitur ibidem Ecclesia Militans *de Cælo descendere*, quia cœlesti gratiâ convocante exorta est. Isaias loquitur de femita fidei, penitentiae, charitatis, & universim mandatorum DEI. quæ arcta quidem est, & carni molesta, sed recta, & Spiritui jucunda; Sancta autem dicitur, quia ducit ad veram Sanctitatem, ad Sanctum Sanctorum, ad Cœlum, ad DEUM. Videatur Tirinus in cit. Sac. Script. locos.

XXXIII. Ad 2. ex Fundamento Ecclesiæ desumptum. Distinguitur Major: qui ædificatus est super arenam ratione fidei non habendo solidum hujus fundamentum, non est membrum Ecclesiæ super petram extructæ, conceditur Major: ratione morum, negatur Major. Atqui peccatores Fideles ratione fidei non sunt ædificati super arenam, sed super petram, ac proinde vera sunt membra Ecclesiæ, quantumvis non Sancta & charitate prædita.

XXXIV. Ad 3. ex finali perseverantia acceptum. Negando Mai. quia juxta communem interpretationem hujus loci perseverantia in bono non exigitur ad ingressum & commorationem in domo Ecclesiæ, sed ad gloriationem Cœlestis Beatitude ex ea obtinendam. Cæterum dum D. Paulus finale perseverantiam requirere videtur ad Domum Dei, non loquitur de Domo universalis, sed particularis Ecclesiæ ex Judæis collectæ, quæ planè eversa est, & Dei domus esse desijt; universalis autem Ecclesia everti non potest. Itaque Apostolus more suo aliquid subicit volens dicere: Nos Judæi ad fidem Christi conversi jam sumus domus Dei, deinceps manebimus, si in fide Christi, quam amplexi sumus, perseveremus. Requirit ergo S. Paulus perseverantiam non ad primam constructionem, sed ad stabilitatem Ecclesiæ, quæ nullis ventis tentationum nec persecutionum procellis deiciatur, ut exponit Christus Matth. 7. Videri potest Tirinus, ubi breviter & bene hunc locum Apostoli explanat, & nomine Domus seu Ecclesiæ nos Christianos intelligi affirmat.

XXXV. Ad 4. ex vocatione divina petitem. Distinguitur Maj. vocatione efficaci vel inefficaci conceditur: efficaci tantum, negatur. D. Paulus, dum ait, vocatos justificari, & glorificari &c. tantum locutus fuit de prædestinatis, ut patet ex

verbis antedecentibus, adeoque de vocatione efficaci ad gloriam.

XXXVI. Ad 5. de membris Diaboli. Distinguendo iterum Maj. & concedendo hanc, si membra eodem respectu fumantur: negando, si diverso respectu accipiantur. Nam idem homo veræ fidei est membrum Christi: & ratione improbitatis est membrum diaboli, quod in moralibus non est absurdum, cum ipsummet peccatum ratione entitatis physicæ sit opus Dei, & ratione malitiæ sit opus diaboli.

XXXVII. Respondetur jam ad 1. Confirmationem, negando Minorem. Nam Fideles improbi saltem per fidem pugnant contra diabolum; etsi non in alijs virtutibus; ideoque non immerito Militanti Ecclesiæ inscribuntur.

XXXVIII. Ad 2. Ex Patribus, qui sceleratos ab Ecclesia proscribunt, illos loqui de perfecta modo existendi in Ecclesia per unionem charitatis, quam peccatores non habent; quantumvis imperfecto modo per unionem fidei intus existant. Unde rectè Bellarm. Lib. 3. cap. 9. ad testimonium ex D. Hieron. adductum ait, non posse malos de ea parte Ecclesiæ appellari, quæ solos perfectos continet.

XXXIX. Ad 3. Ex ratione depromptum. In primis Majorem veram esse solum de vita Spirituali perfecta charitatis scilicet & gratiæ, Membrisque Ecclesiæ perfecte vivis; ista enim præter gratiam & charitatem habent etiam fidem, quæ juxta doctrinam nostram primam §. 1. propriè constituunt membra Ecclesiæ: falsam autem de Membris gradum vitæ imperfectiorem participantibus. Sicut enim non omnia membra & partes corporis humani pollent omni gradu vitæ, sed quædam vegetante tantum, ita & in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, non omnia membra charitate aguntur, sed aliqua timore gehennæ à vitijs avocantur, aliqua ne sic quidem à mala vita absterrentur, quantumvis in vera fide membrum Ecclesiæ constituente persistant, ut diximus in fine §. XXV. Deinde Minorem constare duplici gravissimo errore, patebit in Controv. de Justificatione, ubi fusè & solide ostendemus, auctoritati & rationi apertè repugnare, fidem esse fiduciam quandam: & hâc apprehendi justitiam Christi, quâ justificemur; quo vanissimo figmento tum alij Sectarij, tum nominatim Musæus in suis discursibus unice utitur, atque illud identidem ineptè obtrudit.

XL. Demum ex toto hoc discursu sequitur planè, Ecclesiam Sectariorum esse merissimam Chymeram. Nam si membra veræ Ecclesiæ solum sunt homines Sancti; cum Sanctum esse nihil sit aliud, quàm Spiritum Christi habere, & hoc, Deum ex toto corde diligere, ejusque legem implere: istud autem juxta doctrinam Lutheranorum & Calvinistarum impossibile sit, Ecclesiam quoque talibus membris constantem impossibilem, adeoque chymeram esse oportet.

XLI. Ad 4. Ostendunt Novatores vel unicum ex omnibus Catholicis, qui neget, in Ecclesia vera & propriè dicta esse peccatores & reprobos. Equidem novi, Gerhardum Lib. 2. Parr. 1. à fol. 808. aliquos Scholasticos, imò & Cathecismum Romanum adducere; sed incitè aut calumniosè. Nam omnes, qui peccatores ab Ecclesia arcent, vel volunt solum, peccatores non esse membra viva: Vel subinde id, quod parti convenit,

attri-

attribuunt tōti per Synedochē: vel vocant Ecclesiam Sanctam ob ejus leges, Sacramenta &c: vel loquuntur nonnunquam de particulari aliqua anima in charitate perfecta: vel denique ea, quæ dicunt, referunt ad Ecclesiam Christi secundum statum alterius vitæ, ut notat D. Augustinus lib. cont. Donatist. post Collat. c. 7. quicū inter dum solis Sanctis nomen veræ Ecclesiæ tribuere videtur in libris de Baptismo, nihil tamen aliud vult, quàm gratias Ecclesiæ concessas tantum in utilitatem Sanctorum prædestinatorum finaliter cedere, quod est verissimum; alibi verò communem doctrinam Catholicorum de bonis & malis in Ecclesia Christi existentibus sæpe sæpius inculcat præcipue contra Donatistas. Cæterum quod inter Pontificis disceptetur, an hæretici, Schismatici, Catechumeni, Excommunicati &c. sint membra veræ Ecclesiæ, id salvâ fit charitate, cum omnes aliquatenus ad Ecclesiam spectent, ut ex ijs, quæ supra diximus, constat, ubi etiam mentem nostram exposuimus.

XLII. Ad 5. Confirmationem ex dilutione similitudinum sumptam. Respond. Prædictas similitudines malè in alium sensum ab hæreticis detorqueri. Contra primam de area afferunt D. August. qui Epistolâ 48. eam explicans pro toto mundo ait, *Ecclesiam in frumentis dominicis conservatam esse.* Verum S. Pater loquitur ibi non de quovis tempore Ecclesiæ, sed solum persecutionis Arianae, quo tempore paleis, hoc est, infirmioribus Christianis hæreseos vento abreptis solum frumentum, hoc est, solidi Christiani in fide perstiterunt, & in Ecclesia reservati fuerunt. Interim non negat, prius fuisse, aut postea futuras in Ecclesia paleas.

XLIII. Contra secundam de Sagena iterum afferunt S. Augustinum ibidem pro toto mundo eam explicantem his verbis: *Ecclesia intra sagenam dominicam cum alijs piscibus nata;* ubi distinguit Ecclesiam à malis piscibus, eamque tantum ex bonis piscibus constituit. Verum, ut notat Maldonatus in hunc locum Matthæi. S. Pater non alio frequentius, nec alio fortius argumento refellit Donatistas, solum Bonos in Ecclesia ponentes, quàm quod Ecclesia sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti comparetur. Quapropter in verbis allatis S. Augustinus non distinguit Ecclesiam ut totum à toto, sed ut partem à parte, quas ambas Ecclesia intra se continet; qui enim diceret: iste homo habet brachium longius, non negaret, istud licet brevius brachium nihilominus esse partem illius hominis. Cæterum S. Doctor suam mentem clarissimè prodit Lib. Quæst. Evangel. supra Matth. q. 11. ubi hæc habet: *in illa planè sagena, quâ concluduntur & mali & boni pisces, non absurdè mali Catholici intelliguntur; aliud enim est mare, quod magis istum mundum significat: aliud sagena, quæ unius fidei vel unius Ecclesiæ homines ostendere videtur.*

XLIV. Contra tertiam de regali Epulo afferunt D. Hilarius de Ecclesia triumphante id interpretantem in cit. cap. Matth. Verum in regnum Calorum nihil introibit coquinatum Apoc. 21. v. 27. Sicut tamen in hoc epulo accubuit homo fordide vestitus. Ut igitur similitudo sit apposita, Tirinus distinguit illam in duas partes; prima continet apparatus & accubitus ad mensam, quæ spectat ad Ecclesiam Militantem, ex qua nos argumentati sumus; altera, quæ ciborum apposi-

tionem & fruitionem continet, ad Ecclesiam triumphantem pertinet, de qua locutus est Hilarius.

XLV. Contra quartam de decem Virginibus afferunt etiam D. Hilarius eam pro toto mundo explicantem. Verum multò probabilior est aliorum Patrum sententia, qui tum hanc similitudinem, tum alias: de domo, in qua sunt omnis generis vasa. 2. ad Timoth. 2: de arca Noë 1. Petri, 3: de grege non solum oves sed etiam hædos completionem Matth. 25: de Regno subditos nobiles, & ignobiles habente &c. interpretantur de Ecclesia & Fidelibus solum; Nam omnes virginis accensis lampadibus, id est, fide fuerunt instructæ: in arca omnes fidem habuerunt, in gregis separatione & hædorum abiectione nulla fit mentio fidei, sed solum bonorum operum neglectus objicitur. Per domum, in qua sunt vasa aurea & argentea, Sanct. Aug. Lib. 4. de Baptismo c. 12. expressè intelligit Ecclesiam, in qua illustres & constantes in fide vocantur vasa aurea: fragiles verò & infirmi vasa fictilia. Videri potest Tirinus.

XLVI. Sed cur Deus voluit Ecclesiam suam committere ex bonis & malis; si enim solos sanctos & prædestinatos vocasset, utique Ecclesia fuisset multò pulchrior, & ejus Nomine dignior? Resp. Divinam Sapientiam hujus dispositionis multas causas habuisse ad ejus gloriam & honorem pertinentes; etenim hæc mixtura bonorum & malorum utrisq; prodest. Causas illas conantur ex S. Scriptura eruere, Patres & Concionatores, Cur autem Deus hos voluerit bonos: illos fieri malos permiserit ac toleraverit, nihil aliud occurrit dicere, quàm illud Pauli ad Rom. 11. v. 33. *O altitudo Sapientia & Scientia Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles via ejus!*



## CONTROVERSIA XVI.

### DE UNITATE ECCLESIAE,



Idimus, quid Ecclesia denotet, & quæ comprehendat Membra. Porro videndum, qualis sit, & quibus dotibus prædita. Nam cum plures sint Ecclesiæ: in sola autem vera salvari homines possint, ista certas habere debet qualitates, quibus ab alijs falsis Sectis differat, & ex ijs dignoscatur. Tales autem dotes peculiare & præstantiora epitheta quatuor tribuuntur Ecclesiæ Veræ à Concilio Nicæno in Symbolo: *Credo Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Hisce aliunde ex S. Scriptura & Patribus quinque alia Elogia accedunt; nimirum quod vera Ecclesia sit *Visibilis, Infalibilis, Perpetua, Miraculis, & Martyrum constantia Clara.* Unde conficiuntur novem Qualitates sequentibus Controversijs explicandæ, & defendendæ, è quibus Primæ Titulum jam possuimus, *Unitatis* scilicet, de qua unitate & Schismate fusissimè DD. de Walenburg Tom. 1. à fol. 1038. per 7. libros. Nos juxta propositum nostrum omnia intra gratæ brevitatatis limites complectemur.

## PARS PRIOR

## DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. Aliud est, Ecclesiam esse Unicam, aliud esse Unam; cum hæc prædicata diversas habeant Significationes; etenim quilibet homo est unus, non tamen unicus, cum præter ipsum etiam alij dentur. Erit ergo Ecclesia unica, si præter illam nulla sit vera salvifica Ecclesia: una autem erit, si per consensum fidei non sit scissa in plures sectas diversa credentes.

II. *Doctrina Prima.* Vera Christi Ecclesia est Unica. Ita omnes Catholici, & habetur in professione Fidei, quam omnes juxta Concil. Trid. emittere debent, qui convertuntur ad fidem, vel ad certa Ecclesiæ officia assumuntur: *Hanc veram Catholicam fidem &c. extra quam nemo salvus esse potest, &c. profiteor.* item in Symbolo D. Athanasij: *quicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem &c.* Probatum auctoritate. S. Scriptura comparationem facit cum Arca Noë, præfertim 1. Petri 3. v. 20. ubi dicitur de Arca Noë, quod pauci, id est, octo anime salva facta fuerint, omnibus extra arcam pereuntibus, sic etiam, qui extra Ecclesiam Christi sunt. Unde pulchrè D. Cyprian. Lib. de unitate Ecclesiæ ait: *quisquis ab Ecclesia segregatus adulterè conjungitur, à promissis Christi separatur, nec perveniet ad præmia: qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est; habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem: si potuit evadere quispiam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam fuerit, evadet. Monet Dominus & dicit, qui non est mecum, adversus me est, & qui non mecum colligit, spargit, qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversum Christum facit.*

Eadem Scriptura passim Ecclesiam Christi vocat unam Sponsam, unam Matrem, unam Domum, unum Corpus, cujus Caput est Christus, & omnis Ecclesia ipsius membra. Quod confirmans D. August. Lib. 1. cap. 1. de unitate Ecclesiæ sic scribit: *Ecclesia Christi Corpus est, sicut Apostolus dicit, pro corpore ejus, quod est Ecclesia; unde utique manifestum est, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse.* Ibidem cap. 19. ad ipsam, inquit, salutem & vitam æternam non pervenit, nisi qui habet Caput Christum, habere autem Caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia. Consonat Chrysost. Hom. 11. in Epist. ad Ephes. dicens, nihil Deum equè irritat, atque divisam esse Ecclesiam; etiamsi bona fecerimus innumerabilia; non minores, quam qui ejus corpus discindunt, penas dabimus &c. Et Joan. 15. v. 6. dicit Christus: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palme, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent &c.* Quid est foris, nisi extra Ecclesiam? unde Apoc. 32. v. 15. dicitur: *Canes foris &c.* Sic etiam Apostolus ad Philippenf. 3. v. 2. Judaizantes vocat canes, ajens, *videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* Quia lacebant corpus Ecclesiæ, nec possunt ulli in Christo manere, qui non manent in ipsius Corpore, quod est Ecclesia.

III. Confirmatur Exemplo Centurionis, qui, ut habetur Act. 10. multa bona agebat, ut ibidem dicitur, & tamen mittebatur ab Angelo ad Petrum, ut ex hoc intelligeret, quid ipsum facere

oporteret. Et c. 11. v. 13. refert Petrus, quod Angelus monuerit sic dicens: *narravit autem nobis, quod Angelum vidisset dicentem sibi, mitte in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu & universa Domus tua.* Super quæ verba D. August. L. 1. de Bapt. contra Donat. c. 6. sic scribit: *quidquid boni habebat Cornelius Actor. 10. prodesse ipsi non poterat, nisi per vinculum Christiana societatis incorporaretur Ecclesia, Præclarè in hanc rem D. Fulgentius L. ad Petrum Diaconum de Fide ante annos 1100. sic scripsit. firmissimè tene, ac nullatenus dubites, quemlibet hereticum aut schismaticum in Nomine Patris & Filij & Spiritus S. Baptizatum, si Ecclesia Catholica non fuerit aggregatus, quantascunq; elemosinas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Quæ verba notatu dignissima jam supra ad initium hujus operis attulimus. Et alia plura in eundem sensum habentur apud D. D. à Walenburch. de Unit. Eccl. lib. 1.*

Juxta has & plures alias tam egregias S. Scripturæ Auctoritates, & S. S. Patrum testimonia meritò in Concilio Lateranensi, ut habetur Cap. firmiter, de Sanct. Trinit. & fide Cathol. definitum est, quod una sit universalis Ecclesia extra quam nemo salvetur, Ratio esse potest, quia si plures essent veræ Ecclesiæ, tunc etiam plures esse deberent veræ Fides; sed non dantur plures Fides. Ergo non dantur plures Ecclesiæ veræ Maj. probatur; quia essentialis ratio Ecclesiæ consistit in Fide. Ergo non possunt plures dari Ecclesiæ, nisi plures dentur Fides. Min. constat ex Apost. ad Eph. 4. v. 5. *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium.*

IV. *Doctrina Secunda.* Ecclesia Catholica est una & concors in Fide. Ita omnes Catholici. Potest autem hæc Unitas tripliciter considerari. 1. prout inter Modernam & Veterem doctrinam invenitur. 2. ut inter Membra eorumq; Caput. 3. ut singulorum Membrorum inter se. Primam Unitatem & consensum doctrinæ modernæ cum veteri primitiva reperiri in Ecclesia Romana, constat ex universis nostris Controversijs, in quibus ostendimus, singula Romanæ Ecclesiæ dogmata penitus convenire cum dogmatibus Patrum ac Fidelium. Nec ullus unquam, quantumvis tumidus Prædicans, in minimo contrarium docere potuit. Interim minimè negandum, aliqua olim dogmata explicitè saltem non fuisse credita, quæ hodie sic creduntur: Item aliqua extitisse inter Patres dubia, quæ hodie indubitata habentur; quia scil. multa successu temporis ab Ecclesia per assistentiam Spiritus S. primùm ex S. Script. fuerunt eruta, declarata, definita, ac determinata; imò nonnulla per eandem Spiritus S. Assistentiam de novo revelata juxta alibi dicta. Ideo quippe Christus dedit Spiritum Sanctum Joannis 13. v. 16. Ut doceret omnem veritatem, prout quovis tempore fuerit necessarium.

V. Secundam & Tertiam Unitatem, quæ in consensu Membrorum inter se: & cum Capite consistit, in eadem Romana Ecclesia & nunc vigere, & semper viguisse, non minùs liquet. Nam temporibus primævis, & modernis neque ulla Ecclesia particularis pro verè orthodoxa fuit habita, nisi quæ cum Romana Ecclesia communicaret: neque ullus unquam homo privatus fuit habitus Catholicus, nisi qui in doctrina cum Romano-Catholica Ecclesia consentiret, ut exemplis innumè.


innumeris Ecclesiasticae historiae ac Patrum testimonijs est manifestum; ac proinde non potuit non esse in Ecclesia Romana perpetua doctrinae consensus tam Membrorum inter se, quam horum cum Capite; Etenim quae sunt eadem unitario, inter se quoque eadem sunt censenda. Quae de re pulcherrime Irenaeus adversus haereticos L. 1. c. 3. hanc fidem, inquit, Ecclesia & quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit is, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter haec praedicat, haec docet, & tradit quasi unum possidens vs. Nam etsi in mundo loquela dissimiles sunt, sed tamen Virtus Traditionis una & eadem est. Et neq. haec, quae in Germania sunt fundata Ecclesia, aliter credunt, aut aliter tradunt: neq. haec, quae in Hiberis sunt: neque haec, quae in Celtis sunt: neque haec, quae in Oriente: neq. haec, quae in Aegypto: neq. haec, quae in Lybia: neq. haec, quae in medio mundi sunt constituta. Sed sicut Sol creatura Dei in universo mundo unus & idem est, sic & lumen, praedicatio veritatis ubiq. lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad agnitionem veritatis pervenire. In quibus verbis S. Pater causam hujus consensionis inter Nos Orthodoxos insinuat, nempe quod sequamur eandem regulam credendi, traditionem & definitionem Ecclesiae, quod est fundamentum concordiae, juxta D. Paulum ad Philip. 3. v. 16. idem sapiamus & in eadem permaneamus regula.

VI. Quod si in privatis quorundam libris ac Scriptis contraria appareant, illa solummodo sunt Scholastica, quae sub fidei necessarium non cadunt; aut si dogmata sunt fidei, tunc vel ab illis ante legitimam declarationem Ecclesiae, vel à particularibus tantum personis Scripta sunt, sed ab Ecclesia damnata; in quibus si pertinaciter persistant, eo ipso tanquam membra putrida ab Ecclesia rescissi sunt, ideoq. Ecclesiae consensio nihil derogant.

VII. Ad praedictam autem unitatem fidei in membris inter se non est opus, ut omnes Fideles explicitè omnia credant, sed sufficit, si in quibusdam explicitè conveniant, in reliquis implicitè credendo generatim omnia, quae docet Ecclesia, licet in specie non omnia sciant; multa quippe mysteria fidei sunt in Concilijs hinc inde definita, & à Theologis cognita, quae simplices ignorant. Attamen singulos Fideles promptos esse oportet ad credendum quidvis, quod Ecclesia sufficienter proponit tanquam verum ac de fide, ita ut contrarium elicere actum minime audeant; quippe prohibitum est judicare, Ecclesiam in rebus fidei errare posse, cum illa, teste Paulo ad Timoth. 3. v. 15. sit columna ac firmamentum veritatis.

VIII. Doctrina tertia. Nulla haereticorum Ecclesia est Una. Nam sectarij alij alia sibi dogmata ducunt. Stellae Caeli citius numeros, quam eorum in fidei articulis discordantes inter se sententias, quibus adeo inter se dissident, ut alter alterum graviter inculset, & haereseos damnet, novamque excitet sectam. Hinc vix natus est Lutheranismus, & ex ipso prodierunt Antinomi, Osiandristae, Stanckaristae, Majoristae, Flacciani Adiaphoristae, Ubiquistae, &c. Calvinismus inter discordias natus, & educatus, & progressus est, adeo ut nomen quidem Calvinisticum non mutent, singulae tamen sectae novum sibi cognomen acquirant. P. Laurentius Forer in Quaest. Vexat. P. 2. L. 2. Sect. 3. cap. 8. ex uno Calvini-

sta Honorio Reggio, sive Georgio Hornio ducenas & octoginta novas horrendas sectas & haereseos extraxit, quae hoc tempore in Anglia, & Hollandia grassantur, è quibus aliqui vocantur Presbyterani, Erastiani sive Independentes: alij Colemanniani sive Congregationales, nonnulli Orthodoxi, Pseudo-independentes sive Fanatici. Quidam Anabaptistae Quarentes, & mille alij è solius Lutheri & Calvinii caeno enati. Mirum autem non est, haereticos in tot sectas dividi; quippe accidit istud; quia ab uno vero Christi corpore, quod est Ecclesia Catholica, & à Spiritu S. qui est Auctor unitatis, se ipsos sequestrando avulsi sunt. Unde pulchre D. August. L. 1. contra Epist. Parmen. Donat. cap. 4. sic scribit: jam multa frustra de illo frusto per totam Africam facta sunt; sic sic necesse est, ut minutatim secti consurgant, dispareant, qui tumorem animositatis suae vinculo Catholicae paci praeulerunt, &c. Hoc de Haereticorum sectis adeo verum est, ut ipse Lutherus volens non nisi fuerit confessus in Psal. 5. sic scribens: neq. enim ulli unquam haeretici victi sunt vi aut astu, sed mutua dissensione: nec aliter cum eis pugnat Christus; quam mixto inter eos spiritu vertiginis & dissensionis, sicut inter Babylonica turris operarios, & in novo Testamento inter Arianos, Donatistas, Pelagianos, &c. Ita ut Hilarius S. vir gloriatur L. de Trinit. Bellum Haereticorum esse pacem Ecclesiae, &c. Haec Luther; quod revera & in ipsius & Calvinii sequacibus etiamnum hodiè impletur. Et licet in varijs conventibus sectarij tollere has discordias laboraverint, frustraneo tamen semper conatu, quia non habent certam Regulam Fidei, sed aliter alij interpretantur.



PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

IX. Error Primus. Non opus esse, ut vera Ecclesia sit una. Ita innuit Calvinus in praefatione Instit. ubi scribit non esse mirum, si ex religione sua mox oriuntur divisiones & sectae contrariae, cum id etiam acciderit Ecclesiae Apostolorum. Sequuntur Magistrum suum Calvinistae apud Amel. An. 55. Tom. 2. Item Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 1. à fol. 885. ubi fol. 899. expressè ait, unitatem Fidei ac doctrinae in Ecclesia non esse in hac vita perfectam, & sufficere fundamentalem unitatem, quae in consensione articulorum principalium consistit Probat, 1. Ecclesia statim ab initio in multas sectas fuit divisa Simonianorum, Ebjonitarum, Cherinthianorum, & alias 2. Non solum haeretici, sed etiam Fideles Apostolis se opposuerunt quoad observantiam Legis Mosaeicae, ut videre est Act. 11. v. 2. 3. Ipsi Apostoli Petrus, Paulus, Barnabas interdum inter se discordarunt ad Gal. 2. v. 11. Act. 15. v. 39. 4. Id ipsum futurum praedixit Christus Matth. 10. v. 34. Non veni mittere pacem, sed gladium. 5. Unio per se considerata non est Ecclesiae proprietates, tribuitur enim Antichristo Apoc. 17. v. 13. bi sunt unius sementiae, & vires ac auctoritatem suam bestiae tradent. 6. Unitas est proprie Spiritualis, mystica, & non sensibilibus. 7. Unio in vera fide non est notior ipsa fide.

X. Ille error non solum Sac. Scripturis & Patribus adversatur, sed etiam Rationi & experientiae Ra-

gha.  
er  
ologia  
emica  
XI  
92

tia. Rationi quidem; quia perfecta sunt Opera DEI. Ergo vel maximè Ecclesia, hoc est, publica hujus professio intaminata est; qualis non est, quæcunque vel unicâ hæresis aut erroris contra fidem labe sordescat. Experienciæ verò; quia videmus omnes illas Ecclesias; quæ à Romano-Catholica se diviserunt, tanquam ramos præciosos continuò aruisse juxta illud Osæ 10. v. 2. divisum est cor eorum; nunc interibunt. Profectò Ecclesiæ Asiaticæ & Africanæ; quæ quondam ita floruerunt; ut numerosissima Concilia celebrarent, & semper haberent plurimos viros doctrinâ vel Sanctitate, vel utroque Dei munere clarissimos; ab eo tempore, quò ab Ecclesia Schisma fecerunt, nulla Concilia celebrârunt, nullos habuerunt homines famâ Sanctitatis aut doctrinæ toti orbi notos; & nunc in summâ ignorantie versantur. Unde non malè Lutherus in Libr. de votis monasticis: *mendacia, inquit, certius dignoscere non potes, nisi quando sibi metipsis contraria sunt. A Deo etiam ita ordinatum est; ut impij semper se ipsos confundant, & quoad mendacia non consonent, sed semper contra semet ipsos resistentur.* Similia habet in Comment. ad Gal. 5. ubi doctrinam veræ Ecclesiæ comparat puncto mathematico; cui nec addi, nec demi aliquid potest. Cæterum Lutheri contradictiones colligit Cochleus in Septicipite Luthero, ubi ad finem adjecit 36. varias sententias ejusdem de Communionis sub utraq; specie. Christus olim Petro Episcopo Alexandrino scissâ veste se obtulit videntem, rogatusque ab Episcopo, quis hanc ejus tunicam ita fœdè lacerasset, responsum est à Christo: *Arius fecit.* in Breviâr. Roman. 26. Nov. Si nunc grassantibus Lutheri & Calvinii Sectis Christus iterum, uti posset, in simili vestis forma apparere; & rogatus responderè dignaretur; quis hanc illi tunicam ita immaniter disci dissent, responsum utque audiremus à Christo: *Lutherus & Calvinus fecerunt.* Argumenta allata nullius sunt momenti, ut ex illorum solutione apparebit. Itaque

XI. Responderetur. Ad 1. Hæreticos non fuisse in Ecclesia; quàmprimùm enim Ebrion, Cerinthus, & alij in hæresim inciderunt, ex Ecclesia exidentes membra hujus esse deserunt; unde illorum dissidia non turbant pacem & unitatem Ecclesiæ. Non obstat, ante Constantini Magni tempora ipsam etiam Ecclesiam in diversas hæreses dici divisam. Nam Ecclesia subindè largè, & improprie accipitur, sicuti etiam nomen Christianismi pro omnibus ijs, qui quoquo modo Christum profitentur; & quia etiam hæretici aliquo modo ad Ecclesiam pertinent, ut supra diximus, etiamsi absolutè & simpliciter extra illam existant, idcirco à Gentibus dici solet, in Ecclesia, seu inter Christianos esse sectas.

XII. Ad 2. Dissensionem primorum Fidelium circa observationem Legis Mosaicæ non repugnasse Fidei; siquidem abrogatio legis Mosaicæ nondum erat definita ab Ecclesia; definitioni autem postmodum subsecutæ omnes Fideles suum iudicium submiserunt. Corinthij quoque & Galatæ perniciosè erraverunt, sed non pertinaciter, ideoque habitus sunt adhuc veræ Ecclesiæ membra, licet infirma; quod si pervicaciter in errore persistissent, sine dubio Apostolus eos non inter filios numerasset, sed anathematè illos percussisset.

XIII. Ad 3. Apostolorum discrepantiam non fuisse de fide, sed de quibusdam factis particulariis, scilicet, utrum Petrus rectè fecerit simulando

Judæismum? & utrum Marcus in socium Missionis Evangelicæ fuerit assumendus. In priori casu Petrum non peccasse, contendit Hieronymus, & post hunc Theophylactus ac Cardin. Baronius, quidquid fecus putent August. & alij, qui tamen omnes fatentur, peccatum Petri fuisse leve seu veniale, non erroris in fide, sed in facto. In posteriori casu Deo sic providente factum id fuisse, ait Chrysostr. ut hac viâ Barnabas à Paulo divelleretur; atque ita pluribus Evangelium denuntiaretur.

XIV. Ad 4. Christum non prædixisse pugnam Fidelium inter se aut cum Capite suo, sed Fidelium cum Infidelibus; ut patet ex contextu, & bene explicat Maldonatus in cit. Locum. Ait Gerhardus fol. 901. juxta Bellarm. licere resistere Pontifici invadenti animos, vel Republicam perturbanti. Ergo etiam separare se ab illo. Negamus consequentiam. Nam resistentiâ fit contra privatam personam. At pontificia potestas, ut sic, est Sacrosancta, ac separare se velle ab ea, ut sic, est nefarium.

XV. Ad 5. Unionem qualemcunque cum capite & membris per se solitariè sumptam non esse notam infallibilem veræ Ecclesiæ: sed eandem Unionem in unitate fidei esse certissimam notam salutem negativè; hoc est; evidens esse, veram Ecclesiam non esse, ubi ea Fidei unitas non est. Quod additur ex Apoc. 21. nihil profus facit contra unitatem nostram, quæ in Religionis negotio consistit; quia consensus illorum Regum cum bestia, & conjunctio virium cum eadem non magis arguit unitatem in Religione, quàm conspiratio diversissimorum hodie hæreticorum contra Pontificem Romanum; in quem omnes, veluti vulpes, Samsonis, malevolentia nexu colligati unanimiter impetum faciunt, quoties possunt.

XVI. Ad 6. Distinguendo: Unio Ecclesiæ adæquatè spectata est Spiritualis, mystica & non sensibilis; negatur: inadæquatè & ex parte sumpta, conceditur. Nam ad propriam Ecclesiæ unionem internam & Spiritualem externa quoque ac sensibilis professio spectat.

XVII. Ad 7. denique. Transeat, cum ex eo nihil inferatur contra nos. Nam ex dictis jam constat; nos non asserere unionem in hac fide, sed unitatem in negotio Religionis Fidei (abstrahendo à veritate) esse signum veritatis credendæ.

XVIII. *Error secundus.* Nostram Ecclesiam Romano-Catholicam non esse unanimes in fide Ita Calvinus, Lib. 4. Instit. c. 13. §. 14. inde colligens; non esse apud nos veram Ecclesiam; quia apud nos, inquit, sunt tot schismaticorum conventicula, & divisiones; quot sunt Monasteria, & Scholæ; quorum illa diversa habent altaria, alia scilicet in Ecclesijs parochialibus; alia in proprijs; istæ diversas tenent opiniones. Sacerdotes etiam sub utraq; specie debent communicare, Laici sub una. Item Sacerdotibus prohibitum est Sacramentum Matrimonij, & vicissim Conjugatis Sacramentum Ordinis. Addit Gerhardus negari non posse, inter Asteclas Romanæ Ecclesiæ, & inter recentiores Pontificios agitari varias Controversias de articulis Fidei. Afferit in hunc finem Librum Henrici de Hassia circa Annum 1410. scriptum, cui titulus: Contra insulas & noxias Monachorum fixas. Adducit alius Novator ex Adamo Tannero in præfatione ad Theol. Scholast. hæc ipsius verba: *dici potest intra triginta*  
hos pro-

hes proximis annis quoad ea, quae salvâ fide inter Scholasticos D. D. disputari solent, magnâ ex parte novam quodammodo Theologiam esse prognatam. Plura congerit Crocius apud D. D. à Walenburch Tom. 1. L. 5. de unit. Ecclesiae fol. 104. quibus ostendere vult, Ecclesiam Papisticam non est illam unam, extra quam pereundum sit.

XIX. Nos Romano-Catholicos tenere doctrinam Unam, & concordem in Fide, constat luculenter. Nam admittimus omnes Libros S. Scripturae, quos admittit Ecclesia, & quidem in eo sensu, quo ipsa admittit. Admittimus omnes Traditiones seu Verbum Dei non scriptum, quas admittit Ecclesia. Admittimus septem Sacramenta, sicut admittit Ecclesia. Admittimus omnia Consilia generalia, quae tanquam legitima admittit & approbat Ecclesia. Admittimus omnes & singulos articulos Fidei, quae admittit Ecclesia: & reprobamus omnia tanquam haereses & errores contra fidem, quae sic reprobat Ecclesia. Et quidquid jam sentiamus, atque acerrimè circa res nondum ab Ecclesia definitas disputemus, si tamen aliquam ex illis Ecclesia determinaverit tanquam fidei divinâ credendam, paratissimi sumus, sensum nostrum ponere, & illam rem pro articulo Fidei propositam humillimè amplecti, tenere, asserere, ac tueri. Quomodo ergo non omnes in articulis fidei idem dicimus, vel sapimus. Quare merito de nobis sic scripsit Cyprian. Lib. de unitate Ecclesiae c. 5. in haec verba: *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos spargit. Unum tamen Lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in omnem terram copiam ubertatis sua extendit, profusentes largitur rivos latius expandit, unum tamen Caput, & Origo una, & una Mater secunditatis successibus copiosa. Illius factu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica: unam Domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit, &c. Et cum haereses & schismata postea nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis Caput atq; Originem reliquerunt. Hucusq; Cyprian. quibus ad Unitatem Ecclesiae Catholicae in rebus fidei nihil clariùs dici, nihil meliùs addi potest. Nunc*

XX. Respondetur ad argumenta in oppositum. Schismaticum non fieri ullum propter diversum Altare materialiter, sed formaliter; alioquin omnes Parochi forent schismatici, quia habent diversa altaria in eadem Diœcesi. Monachos antiquos non habuisse proprium altare, sed accepisse Sacramenta in Ecclesijs parochialibus, falsum est, ut ostendit ex Patribus Bellarm. L. 4. de vobis Ecclesiae cap. 10. §. ad 2. argumentum dico. Scholae Thomistarum & Scotistarum, & universim Doctores Pontificij non dissentiant in ijs rebus, quae ad Fidem pertinent, sed in alijs, de quibus Ecclesia nihil adhuc definit, cujus sententiae omnes Catholicos se subijciunt, uti S. August. dicit de dissensionibus Doctorum sui temporis Lib. 1. Contra Julian. Disserepantia communionis apud nos Catholicos non oritur ex diversitate fidei (quippe credimus omnes tam in una, quam utraq; specie contineri totum Christum) sed tantum ex lege Ecclesiastica, quae ad cavendam effusionem & irreverentiam Sanguinis Christi vetuit plebi calicem porrigi. Similiter Ecclesia Sacerdotibus prohibuit Matrimonium, & Convigatis Ordinem, propter indecentiam, non propter diver-

sitatem fidei circa essentiam Sacramentorum. Adeoq; salvâ unitate fidei potest esse diversitas in usu Sacramentorum. Taceo argumentum retorqueri posse; quoniam & ipsi haeretici in usu Sacramentorum discrepant, quia abstemij sub una specie communicant: alij sub utraque. Infantibus penitus negatur Eucharistia. Crocius nihil eorum, quae contra unitatem Ecclesiae Catholicae in fide congerit & objicit, solide probat, ut ordine ostendunt D. D. à Walenburch, loc. cit. & ex dictis facillimè rejiciuntur.

XXI. Hinc. Clarissimè apparet. Imaginem esse calumniam Amesij Tom. 2. fol. 68. libros quosdam Becani & Bellarmini propter doctrinam de Gratia & Libro Arbit. Parisijs fuisse damnatos, & combustos. 2. Insignem etiam esse injuriam Menonis Hanneken in Irenico suo fol. 722. Praedestinationem Bellarmini & aliorum Jesuitarum cum doctrina Iansenistarum ab Innocentio X. & Alexandro VII. summis Pontificibus fuisse dampnatam. 3. Crassam esse mendacium Gerhardi loco cit. Recentiores Pontificios Theologos varias Controversias inter se tractare de articulis Fidei. 4. Libellum Henrici de Hassia nihil facere ad rem, cum litès illæ inter Monachos minimè res fidei concernant. 5. Novatorem illum ineptè cavillari Tannerum, cum iste expressè addat, salvâ fide, quasi dicat, circa Fidei articulos nihil moveri aut innovari: cetera vero indices magis declarari, firmari, & mirâ eruditione in Scholis exornari. De Graecis & Schismaticis supra diximus, quinam ex ijs in Ecclesia sint, & unitatem cum hac servant. Tempore autem schismatum, & Antipapatum dissensione sufficit, si quis ita habeat affectum unionis cum sede Apostolica, ut quando fuerit certus Papa, velit ipsè etiam effectu se illi conjungere.

XXII. Tertius error est. Lutheranam & Calvinicam Ecclesiam consentire in fide. Ad hoc persuadendum dicunt cum Gerharo supra adducto, discordiam illam inter suos non esse in fundamentalibus articulis fidei, sed tantum in levioribus rebus; ad unitatem autem Ecclesiae sufficere unitatem in fundamentis; quod si aliqui in fundamentis dissentent, ajunt, eos esse paratos mutare sententiam, si qui contrarium in scripturis ostenderint. Quemadmodum igitur, inquit Meno Hanneken in suo Irenico fol. 723. Romani suorum Theologorum discordias absq; detrimento unitatis excusant, ita nos Evangelici asserimus, Theologos nostros non in re ipsa Fidei, sed in modo solum loquendi sibi adversari, veritati S. Scripturae semper consentire paratos.

XXIII. Error hic manifestè ostendit, Sectarios suis novitatibus dissidentes delabi in adiaphoriam, seu Indifferendismum, quasi quilibet salvarj posset, si modò potissimos seu fundamentales articulos de Sanctissima Trinitate ac Christo Domino ceterosq; in Symbolo Apostolico teneat, quantumvis alia fidei dogmata sufficienter proposita, aut etiam unum ex istis non credat, sed discrepet. Contra quam adiaphoriam fusè egimus in praeludio, quae est. 1. Controversia hujus operis. Ceterum haeretici frustra suam discordiam alieno tegere pallio laborant.

XXIV. Nam Primò. Quis nescit, eos in articulis Fidei praecipuis inter se dissentire; & Lutheranos quidem aliter in Suevia, aliter in Saxonia, aliter in Dania docere; Calvinistas vero aliter

in Germania, aliter in Anglia, aliter in Gallia, &c. sentire; & tam in horum, quam illorum Ecclesijs alios ab alijs gravium errorum in fide incursari, ac velut apertos hæreticos damnari. Unde inter alias causas, cur multi Lutheranismum & Calvinismum deserant, non ultima est prædicta dissensio, & assidua rerum fidei immutatio, ut sæpe Catholici D. D. demonstrarunt, ac nominatim Caspar Ulenbergius in Germanico Libro de gravibus motivis, cur quilibet in Catholica fide persistat.

XXV. *Secundò.* Ipsimet Sectarij nesciunt, quinam in Theologia sint fundamentales Articuli; atq; in hoc ipso discrepant, quibus apertissime contradicit ipsorum Magister Lutherus, qui non distinguit inter articulos fundamentales, & alios quosvis Tom. 5. super 17. cap. Matth. ubi sic scribit: *granum sinapis est rotunda figura, ita esse debet Fides nostra rotunda, id est, complectens omnes omnino Articulos; quantumvis aliquis sit ac videatur modicus, nam qui in uno articulo non bene credit, sive, ut ait Jacobus, in uno peccat, peccat contra omnes.* Simile quid habet Tom. 2. Germanico Wittenb. qui, inquit, *Deum in uno mendacij arguit, & blasphemat, totum Deum blasphemat, & peragit omnes blasphemias, Deus est unicus Deus, qui non patitur se dividi, nec in uno laudari, in altero vituperari potest.*

XXVI. *Tertio.* In fundamentalibus etiam discrepant Sectarij. An non fundamentales sint articuli: quilibet salvari potest, si duodecim Symboli Apostolici capita credat, etiamsi cæteris Ecclesie dogmatibus fidem neget? Item Humanitas Christi est ubique, perinde ac Deitas in omni ligno, lapide, gramine &c. imò in fune, quo Judas se suspendit. Prius horum negat D. Hülseman: affirmat D. Calixtus. Posterius negat Doc. Calixtus: affirmat D. Hülseman. Uterq; horum est Lutheranus, & multas in suam quisque trahit partem. Plures similes discrepantias tam Lutheranorum, quam Calvinistarum in fundamentalibus Articulis notant Romani Scriptores. Videri etiam potest Jodocus Kedd. in Epistola ad studiosos, & hujus dedicatio. Et Foreti Indiculus dissidiorum apud Calvinistas Parte 2. *Vexatæ Quæst. Lib. 2. Sect. 2. cap. 7.* Lubet solum addungere unicum testimonium ex Adversarijs, ex quo liquido constat, quanta apud Reformatos (quales non minus Lutherani quam Calvinistæ videri volent) in rebus fidei sit discrepantia & doctrinæ innovatio; est illud Tutitij, qui ad Bezam de Theologis reformatis ita scribit: *Palantes circum feruntur omni doctrina vento agitati, & in altum sublatis modo ad hanc, modo ad illam partem deferuntur.* Horum, quæ sit hodiè de Religione sententia, sive fortasse possis, sed quæ eras de eadem futura sit opinio, neq; tu cerid affirmare que, as. In quo tandem Religionis Capite congruunt Ecclesie inter se, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperies; ab uno affirmari, quod alter non statim impium esse clamitet. Ita Tutitius infelix ille Quinquè ecclesiensis olim Episcopus.

XXVII. *Quarò.* Non est par ratio Catholicorum & hæreticorum quoad præparationem animi erga Judicis sententiam; siquidem Catholicorum Iudex nimirum S. Ecclesia ita perspicue rem definit, ut nulla restet dubitandi causa; sed his statim desinat; At verò Scriptura, ad cujus iudicium hæretici appellant, est obscura, & variè interpre-

tabilis, ut his nunquam finiatur, alio aliter interpretante, & circa sensum ejus novas Controversias movente, ut nimis docet experientia, & pulchre in hanc rem Hieronymus in cap. 16. Ezech. sic scribit: *semper errantium fluctuant pedes, nec sunt solida vestigia quæ contra veritatem sunt, sed hic illucq; discurrunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ.* Videantur D. D. à Walenburch Tom. i. Controversiarum Fidei supra cit. de unitate Ecclesie Tr. 9. Lib. 2. cap. 7. Item eodem Tom. Tract. 3. ubi à fol. 491. tam fuse, quam doctè agunt de Articulis necessarijs, fundamentalibus seu essentialibus eorundemq; oppositis erroribus. Et simul apertissime ostendunt; Sectarios de articulis fundamentalibus nihil certi habere; interq; se dissentire. Nobis ea, quæ diximus, ad propositum nostrum abunde sufficiunt.

## CONTROVERSIAM XVII.

### DE SANCTITATE ECCLESIE.

SANCTITATIS Ecclesie veræ Symbolum est Cœcæus ille funiculus, de quo Josue. 2. v. 21. & cap. 6. v. 25. *Quemadmodum enim per istum olim Domus Rahab, tanquam fidelis à Judæis fuit agnita, ita nunc Religio vera per sanctitatem à Sectis falsis discernitur.*

#### PARS PRIOR

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina Prima.* Veræ Christi Ecclesia debet esse Sancta. Ita enim vocatur in Symbolo Apostolico, & Nicæno, sumptâ denominatione non à multitudine, sed à præstantia Membrorum Ecclesie, sicuti multa vocantur aurea v. g. gladij, calices &c. etiamsi plus alterius metalli, quam auri contineant: Est autem duplex Sanctitas Doctrinæ scilicet & Morum. Prior non debet solum negativè docere nihil iniquum, & indecens; sed etiam positivè ostendere, in quonam sita sit veræ sanctitas, & quâ ratione ad ipsam perveniatur, ut, quisquis hanc doctrinam lætutus fuerit; cerid sanctus evadat; quod indicatur Deut. 4. v. 6. ubi dicitur: *hec est vera sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: en populus sapiens & intelligens, Gens magna &c.* Ubi patet, quod præcepta Dei populo seu Ecclesie suæ data sine talia, ut si gentiles illa audiant ex illis cognoscant, illum populum Dei esse. Posterior est, quæ re ipsa mores informat, ut semper aliqui saltem verè sancti & perfecti in Ecclesia reperiantur, qui non solum credant, sed etiam mores ita componant, ut nihil in eis jure reprehendi possit, uti de Parentibus Joannis Baptistæ Zacharia, & Elisabeth scribit Luc. cap. 1. v. 6. *Erant ambo justi ante Deum incedentes in mandatis & justificationibus Domini.*

II. Ne igitur illa sanctitas doctrinæ merè sit speculativa, sed etiam practica, accedere debet ita

ista morum sanctitas in quinq; Capibus consistens. 1. in abstinentia à peccatis non solum mortalibus, sed etiam venialibus saltem crassis & plene deliberatis. 2. In dominio passionum, ut non facile præveniant rationem, nec voluntati prædominentur. 3. In observatione non solum præceptorum, sed etiam Consiliorum Christi, quæ sine peccato prætermitti possunt. 4. In ornatu omnigenarum virtutum. 5. In multitudine & constantia bonorum operum, sine quibus fidem appellat mortuam S. Jacob ca p.2. v.29. hinc hominem præditum ornamentis appellamus sanctum, & tales debent esse in Ecclesia, quæ ab illis sancta dicatur.

III. Atque hanc ipsam sanctitatem Christus proposuit pro nota veræ fidei tum Matth. 5. v. 16. hinc verbis exhortans: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est;* Ubi voluit Christus, ut bona opera suorum fidelium sint videntibus in signum, ut credant, & credendo glorificent Patrem, quod tales sint in vera Ecclesia, tum Matth. 7. v. 15. comparans suos fideles *arbori fructifera dicendo: attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt sicut lupi rapaces;* à fructibus eorum cognoscetis eos; fructus autem bonos & malos speciatim enumerat Paulus ad Gal. 5. v. 22. & ad Coloss. 1. v. 2. Et quoniam Christus per Prophetas intellexit primos novæ fidei seminatores, eorum vita maximè observanda est, quia incredibile est, Deum ad reformationem aliorum uti operâ hominum peccatorum, quod nullus prudens Magistratus faceret; quippe clamarent, subito homines: *Medice cura te ipsum* Luc. 4. v. 23.

IV. *Doctrina secunda.* Ecclesia Romano-Catholica est verè Sancta quoad Doctrinam & Mores. Ita omnes Catholici. Ratio prioris partis est, quia Ecclesia Catholica non solum nihil impium, aut iniquum docet, sed omnes ad perfectionem hortatur, ejusque naturam, & viam ostendit in Concionibus, Libris, ut constat ex ipsis catechismis, ubi præcepta & consilia Dei & omnis generis bona opera proponuntur; unde Psal. 18. v. 8. de doctrina Ecclesiæ dicitur: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Secunda pars probatur ex omnibus Fastis, ac Martyrologijs, ipsisque Calendarijs vulgaris, quibus, quotquot Sancti Christianum nomen professi, ac post Christum defuncti habentur inserti, omnes Catholici fuerunt, utpote magna ex parte Romani summiq; Pontifices, Episcopi, Sacerdotes, Eremitæ, Monachi, Moniales, Virgines &c. quibus vel ex ipso nomine nihil cum Sectariorum fide potuit esse commune.

V. Atque tales nominatim ultimis hinc temporibus fuere Pius V. Papa, Carolus Borromæus Cardinalis, Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, Thomas de Villanova Episcopus Valentinus, Andreas Carinus Episcopus Fesulanus, Ignatius Lojola Fundatur Soc. JESU, Franciscus Xaverius è Societate Jesu Indiarum Apostolus, Philippus Nereus Auctor Congregationis Oratorij, Petrus Nolascio Institutor Religionis B. V. de Mercede Redemptionis captivorum. Petrus de Alcantara, Maria Magdalena de Pazzis, & alij plures, qui singulari Sanctitate ultimis, ut dixi, hinc temporibus præluxerunt.

VI. Quod si primos Fidei Catholicae Prædicatores recoiamus, reperiemus meros Sanctos v. g. in Nostra Germania Primi Doctores Fidei Catholicae fuerunt triginta omnes Sanctissimi Viri. I. S. Lucius S. Pauli Apostoli Discipulus prædicavit Ratisbonæ in Bavaria Anno 61. II. S. Titus ejusdem Pauli Discipulus prædicavit in Dalmatia An. 70. III. S. Marcus ejusdem Pauli Discipulus Pallavij circa idem fere tempus. IV. S. Crescentius ejusdem Pauli Discipulus Moguntia An. 90. V. Clemens S. Petri discipulus Metis Anno 94. VI. S. Maternus ejusdem Petri Discipulus Treviris An. 95. cui additerunt. VII. & VIII. SS. Eucherius & Valerius. IX. S. Pantalitus Basilea An. 248. X. & XI. SS. Quirinus & Maximilianus Vienna in Austria An. 261. XII. S. Narcissus Augusta An. 307. XIII. S. Gessius Spiræ An. 349. XIV. S. Victor Wormatia An. 399. XV. S. Rupertus in Bavaria An. 535. XVI. & XVII. SS. Amandus & Arbogastus Argentinæ An. 641. XVIII. & XIX. S. Kilianus & Bughardus Herbypoli Anno 688. XX. S. Wilibrordus in Frisia An. 701. XXI. S. Corbinianus Frisingæ An. 710. XXII. S. Wilibaldus Eustadij An. 746. XXIII. S. Bonifacius in Turingia eodem Anno. XXIV. S. Hildegrinus Halberstadtij An. 781. XXV. Witherardus Bremæ An. 792. XXVI. S. Harimarus Paterboriæ An. 799. XXVII. Ludgerus Monasterij An. 805. XXVIII. S. Anastasius Haniburgi An. 833. XXIX. S. Maximus Constantia An. 935. XXX. S. Adelbertus Pragæ Anno 975.

VII. Hos omnes & Singulos (plures per Germaniam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, videri possunt apud DD. à Wallenburch Tom. 1. à fol. 746.) fuisse Catholicos, nec aliam Fidem docuisse, quam nunc Romano-Catholici docent, aperte habetur. Tum ex eorum vitis & antiquis Historijs fide dignissimis; & multi eorum fuerunt Monachi. Tum ex eorum Scriptis fideliter ad nos transmissis. Tum ex eorum ædificijs adhuc extantibus; siquidem aliquot Episcopatus fundarunt, multa Monasteria extruxerunt, & multa templa erexerunt Altaribus & Imaginibus referta, uti & Reliquias Sacras pretiosè ornatas conservarunt. Quæ cum ab hæreticis alienissima sint, jure meritissimo asserimus, eosdem fuisse Viros & Sanctos & Catholicos.

VIII. Confirmatur Assertio nostra ex ipsa Adversariorum Confessione, qui vel inviti hoc Ecclesiæ nostræ testimonium sæpius perhibuerunt. Nam 1. Lutherus in Epist. de Anabaptist. Tom. 2. Germ. Wittenberg. fol. 230. asserit. *Sub Papatu esse multos magnosque Sanctos.* Idem Commentar. Epist. ad Gal. c. 5. ait. *Admiratur mundus Sanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernardi, Francisci & similium; quia audit, eos magnifica in speciem & insolita quædam opera fecisse;* certè fuerunt etiam Sancti Hilarius, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus & alij; quos tamen constat, Missam celebrasse, ad eoque Catholicos fuisse, uti nec ipse Luther negaverit. Calvinus Lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13. fatetur, *Ecclesiam Romano-Catholicam per quinque secula veram, clarissimeque doctrinam tenuisse;* ab hac autem puritate fidei eam vel minimo defecisse nec ostendit ipse, nec alius ostendere potest. Et lib. 4. c. 16. §. 16. non vult inficias ire, *Antiquos magni semper fecisse eandem Romano-Catholicam Ecclesiam, & honorifice de illa fuisse locutos.* Philippus Melancton in Apolog. Confess.

August. Tit. de votis monasticis Bernardum, Franciscum, aliisque Monachos vocat Sanctos. Et ibidem Art. 5. responsis ad argumenta: Antonius, inquit, Franciscus, Dominicus, Bernardus & alij Sancti Patres elegerunt certum vita genus. Ex quibus vides, illustrem jam olim fuisse atque etiamnum esse multorum in Ecclesia Catholica Sanctitatem, ut eam nec ipsi quidem Adversarij facile negare possint, utcumque interim in Ecclesia Catholica multi etiam in omni vitæ genere sint improbi, quod Ecclesiæ Sanctitati nihil officit, quandoquidem id ipsum Christus prædixit, scilicet in vera Ecclesia Zizania tritico, bonisque piscibus malos usque ad consummationem sæculi fore permixtos. At verò nullos habere bonos sanctosque, non potest nisi falsæ Ecclesiæ convenire.

IX. *Doctrina tertia.* Nulla Ecclesia hæreticorum sive Lutherana, sive Calvinistica, seu quocunque alio nomine appellata, est Sancta, nec quoad doctrinam, nec quoad mores. Probatur prima pars. Nam licet apertè non tradant scelera, nec expressè ea fuadeant, ea tamen docent, ex quibus non nisi corrupti mores oriri possunt. Nempe 1. hominem solâ fide justificari & salvari. 2. opera bona non esse necessaria ad salutem, 3. divinorum præceptorum observantiam esse impossibilem. 4. Jejunia Ecclesiastica non esse observanda. 5. Peccata commissa nec in Confessione esse homini aperienda necessariò: nec ullâ satisfactione bonorum operum expianda. 6. Nec Virginitatem Matrimonio: nec Paupertatem voluntariam divitiarum possessioni anteponendam: Continentiam verò à mulieribus, aut impudicis actibus (nisi Deus miracula faciat) nec possibilem quidem homini ætatis & roboris integro &c. 7. Hominem nullum habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum, vel è contra, ut præter Calvinistas docent & Lutherani in articulis Schmalkalticis Lib. Concordiæ insertis P. 3. Art. de peccatis &c. Quis autem ex tali doctrina virtutes ac opera bona æstimet, sine quibus firmissimè credit, se salvandum? utpote quæ novit, non esse necessaria ad salutem, quorum exercitia audit non esse in sua potestate. Quis peccata horrescat ac fugiat, quæ nocitura non sunt, nec in Confessione exponenda, nec ullis pænis expianda, vel luenda, modò in Christum credat? Quis Consilia Christi sequatur, quæ sibi persuadet, nullius esse momenti, imò potius cultus superstitiosos? Unde Luth. Lib. de Capt. Babylon. Titul. de Baptismo Tom. 1. Lat. Wittenberg. pag. 78. ita, inquit, vides, quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere vitam suam æternam, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere, nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas.

X. Secunda pars quoad Mores apertè imfertur ex priori. Nam nec unicus à tempore Apostolorum nominari potest, qui omnia Lutheri vel Calvinii Dogmata Professus ab Orbe Christiano universo habitus fuerit Sanctus, quales tamen innumeros nominat Romana Ecclesia. Imò ubi primum innotuerunt istæ novitates, ita repente mores hominum immutati fuerunt, & in pejus ruerunt, ut Lutherus obstupescens dixerit, homines peiores esse in Lutheranismo, quàm in Papatu. Aurifaber enim in Convivialibus Lutheri sermonibus scribit, Lutherum sæpe cum suspirijs dixisse, post revelatum Evangelium (per istos scilicet Novato-

res) virtus est occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas à Canibus lacerata, fides clauda, nequitia quotidiana, devotio pulsa, hæresis relicta. Idem in Dom. 1. Advent. Serm. 2. sic ait: Possideri homines sub suo Evangelio à septem demonibus, qui prius sub Papatu ab uno possidebantur. Cæterum ipse Lutherus fuit turpissimus Apostata, Sacrilegus falsarius Scripturæ, Pseudopropheta & Apostolus à Deo non missus, Impius contemptor Patrum, Luxuriosus Heluo, & detestabilis hæresiarcha. Calvinus verò homo fuit fastuosus, ambitiosus, seditiosus, & supra modum flagitiosus. Et quantumvis virtutis larvam vitij obtenderet, innotuit tamen scelus. Nam scribunt multi, teste Floremundo Remundi, P. 2. Hist. Pag. 248. eum Novioduni in Gallia propter sodomiam comburendum: ex gratia virginitatis, & liliato stigmatate in tergo inustum fuisse; certè detestabilem ejus vitam horrenda mors excepit. Etenim, ut refert Hieron. Bolseck Medicus Lugdunensis in ejus vita, dæmonibus invocatis jurans, execrans & blasphemans expiravit; imò horam ac diem detestatus est, quem unquam studijs ac scriptionibus impendit. Videri potest Floremund. P. 2. Hist. cit. de ortu & progressu hæres. hujus sæculi. ubi cap. 10. inter Lutherum & Calvinum comparationem instituit, sed parum refert, quis illorum sit nequior; utrumque impium, omni scelere inquinatum, & detestandum diaboli instrumentum fuisse constat.

## PARS POSTERIOR.

### ERRORES HÆRETI- CORUM.

XI. *Error primus est.* Lutheranorum apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 92. & Calvinistarum apud Amesium Tom. 2. fol. 69. Ecclesiam non indigere Sanctitate, nec ex Moribus judicandam; adeoque Sanctitatem Vitæ non esse genuinam & infallibilem Ecclesiæ Notam, ut expressè ait Gerhard. fol. 99. Probant. Tum quia doctrina vera semper est Sancta. Tum quia Sanctitas vel est interna, vel externa; illa non patet conspectui: hæc non est infallibilis. Tum quia boni fructus arboris, de quibus Matth. 7. cit. non significant bona opera Fidelium, sed bona dogmata fidei, ut interpretantur Lyrinensis & Theodoret. atque Auctor Imperfecti operis, Error iste manifestè repugnat Sacræ Scripturæ, quam adeo inclamant hæretici. Psal. 92. v. 5. ait David: *Domum tuam* (Ecclesiam Militantem intelligit) *decer Sanctitudo Domine.* Ad Ephes. 5. v. 27. dicitur Ecclesia gloriosa non habens maculam, aut rugam, Sancta & immaculata; ubi non potest Apostolus intelligi de Sanctitate doctrinæ, pro qua Christus non est mortuus, ut tamen dicitur ad initium Epistol. *mortuus pro Ecclesia*, qualis nos in hac vita sumus. Unde D. Petrus epist. 1. cap. 2. v. 9. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, Gens Sancta.* Rationi quoque repugnat; quia hæc Articulum 9. Symboli Apostoli, in quo Ecclesia dicitur Sancta, ita planè explicat, ut Sancta in illa personæ intelligantur; quomodo enim dicere possum absque esse sanam, in qua omnes sunt infirmi, miseri, & varijs morbis vexati? sic ergo Ecclesia, dum dicitur Sancta, non

ta, non potest secundum rectam rationem nisi de Sanctis in ea personis intelligi. Probationes allatae debiles sunt.

XII. Respondetur ad 1. Doctrinam veram non reperiri apud Sectarios, cum illi sine errore nunquam sint. Adhuc non loquimur de Sanctitate doctrinae merè speculativa, sed practica, & re ipsa mores informantem, quam non possunt ostendere haeretici. Negatur etiam Consequentia; quam Amesius facit, scilicet doctrinae veritatem esse eandem cum sincera Evangelij praedicatione; siquidem posset esse doctrina puritati Evangelij contraria, quae tamen non contineret errorem rectae rationi aperte contrarium, quales errores sunt illi; quos Bellarm. (Lib. 4. de Ecclesia cap. 9. enumerat.

XIII. Ad 2. Gerhardi. Eam nullius esse momenti; an non vera Ratiocinatio est interna & invisibilis, adeoque operatio Spiritus; quomodo ergo poterit esse signum hominis? si dicat, actum internum innoscere per externum, scire etiam debuerat, ex Sanctitate interna innoscere externam; quippe non est Sanctitas tam occulta, quin moribus externis se prodatur, sicuti etiam vitia non possunt celari, juxta illud Poetae: *Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu.* Nec mores externi fallere diu possunt, quia, inquit Seneca, *nihil simulatum diuturnum*; haec omnia cito in naturam recidunt, perinde ut colores in aere apparentes non sunt stabiles, & si natura celaret, Deus ipse proderet scelera occulta, uti minatus est Davidi 2. Reg. 12. v. 12. *Tu fecisti in abscondito, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israelis, & in conspectu solis.*

XIV. Ad 3. Cum Maldonato in cit. locum, omnes veteres Auctores per fructus intelligere non doctrinam, sed opera, quae doctrinam ita sequuntur, ut ex mala doctrina opera mala, ex bona vero opera bona nascantur. Nam agitur hic de fide, id est, de ipsa falforum prophetarum doctrina; absurdum autem dictum est, doctrinam ex doctrina probari, fidem ex fide dignosci debere. Vincentius Lyrinentius non est tantae auctoritatis, ut caeteris omnibus anteponi debeat. Theodoretus & Auctor operis imperfecti in Mathaeum non curantur, cum aliam in fide errarint, ut ostendit Bellarm. de Scripturis Ecclesiasticis.

XV. Secundus error est eorundem haeticorum. Nec Ecclesiae Catholicae tantam esse Sanctitatem sive in doctrina, sive in moribus, quantum jactamus. Nam quantum ad Doctrinam attinet. In Papatu, ait Gerhard. fol. 913. à Theologis publice disputatur, fornicationem simplicem non esse peccatum. In jure Canonico reperitur etiam quaedam valde turpia & flagitiosa documenta. Capit. 2. causa 12. q. 1. ex Epist. Clementis Rom. referuntur haec verba: *amicorum debent esse omnia communia etiam uxores.* Glos. in cap. 25. dist. 34. ait: *non esse meretricem, nisi admiserit plures &c.* Capit. 4. dist. 34. ex Concilio Toletano acceptum ait: *qui non habet uxorem, illius loco habeat concubinam.* Ad Mores Catholicorum quod spectat. Ajunt in primis in Ecclesia Romano-Catholica multos etiam malos reperiri, & praesertim vitam Ecclesiasticorum quorundam admodum subinde scandalosam esse. Deinde lupanaria apud eosdem publica passim patere libidini impune exercendae. Demum primos in Germania fidei praecones fuisse quidem Sanctos, sed in multis errasse, purgatos tamen

per charitatis flammam, quae hujusmodi paleas combussit.

XVI. In Ecclesia Romano-Catholica & in hoc labenti, & omnibus retro saeculis fuerunt reperti, atque etiamnum reperiuntur multi & magni Sancti; nempe viri Apostolici, qui Genes fidem Catholicam docuerunt, & ad eam converterunt, fortissimi Martyres, integerrimi vita & moribus Confessores, piissimi Conjuges, devotissimae ac castissimae Virgines & Viduae. Ecclesia igitur & vita & moribus Sancta sit oportet; Sancta, inquam, arbor tales ferens fructus: Sancta radix flores virtutes odore adeo praestantes germinans. Et quamvis multi in eadem inveniuntur non-Sancti, per hoc tamen illorum Sanctitati nihil derogatur. Sicuti nec pulcherrimis & plenissimis spicis aliquid demunt Zizania inter eas surgentia, ut ipsa indicat Christus, Matth. 13. v. 15. Intercedit etiam hoc maximum discrimen inter veram Ecclesiam, & Sectas falsas, quod, licet in illa pauci sint Sancti (sicuti universim electi pauci sunt) qui tantum honorem Ecclesiae conservant: in istis tamen omnino nullus unquam fuerit, aut sit Sanctus; quemadmodum à primordiis Ecclesiae nec Secta Ariana, nec Nestoriana, nec ulla alia ad hoc usque tempus nominare ullum potest, nec potuit Sanctum. Quare de Ecclesia Romano-Catholica rectissime dicitur illud Petri 1. 2. v. 9. cit. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta.*

XVII. In eadem Romano-Catholica Ecclesia primis quingentis annis fuisse veram Sanctitatem doctrinae absque ullo errore in necessariis fidei articulis, fatentur ipsimet Protestantes. Ergo cum ex ipsorum confessione vera Christi Ecclesia in articulis fidei necessariis errare non possit, eadem Romano-Catholica Ecclesia etiamnum habet veram doctrinae Sanctitatem. Dicunt Sectarii 1. Romanam Ecclesiam, quae primis 500. annis post Christum viguit, non esse Papisticam, nec universalem, qualis nunquam fuit. 2. Romanam etiam Ecclesiam sequioribus annis errasse in necessariis per additionem. Resp. hoc posterius esse purum figmentum, ut suo loco ostendimus: illud prius verò esse meram ignorantiam argumenti nostri, quod explicamus. Per Romanam Ecclesiam intelligimus eam, quae communicat Romano Pontifici. Illa Ecclesia primis 500. annis Romano Pontifici communicans non fuit particularis; siquidem eo tempore nulla fuit Ecclesia particularis, quae Romani Pontificis repudiaret communionem, nisi Schismatica vel haeretica. Ergo Ecclesia tunc non fuit particularis, sed universalis, veraque Christi JESU Ecclesia, uti Adversarij agnoscunt. Quae haeretici supra §. XV. objecerunt vel minime Sanctitatem Ecclesiae Catholicae obscurare valent.

XVIII. Respondetur itaque 1. Multum inquirere haeticos in doctrinam Catholicorum, si hujus Sanctitati turpitudinis notam inurnere possint, sed nihil unquam tale reperiunt; etiam si enim quidam privati Doctores laxius subinfentiant, aut loquantur in suis Libris, quid hoc detrimenti afferat communi fidei Catholicae doctrinae, de qua sola hic loci agitur? Taceo hanc etiam in morali doctrina laxitatem ab Ecclesia non approbari; sed serè prohiberi, ut videre est in damnatis nuper propositionibus bene multis ab Alexandro VII. Papa. Quoad fornicationem

P 3

omnes Catholici tenent, eam esse peccatum mortale non solum jure positivo divino, sed etiam jure naturali, quæ Deo adeo displicet, ut fornicarij e Cælo exclusi æternæ poenæ fiant rei ad Corinth. 6. v. 9. Unde Sancto Clementi injuria fit gravissima, cum illud assumentem de communione uxorum supposititium sit, nec in manuscripto reperitur. Quare Gratianus habuerit vitiosum exemplar, ex quo illum Canonem desumpsit, sicut in alijs multis erravit, uti ostendit Bellarm. de Script. Ecclesiasticis. Verbo. Gratianus. Glossator decreti (quem Joannem Teutonicum appellant) nullus est auctoritatis, & falsò citavit capitula, scilicet 9. dist. 45. ex D. Gregorio desumptum: & Cap. 4. Alexandri III. de Clericis excommunicatis in quibus nihil horum reperitur. Concilium Toleranum nomine Concubinæ juxta veterem illius temporis morem intellexit legitimum conjugem, sed privatim sine juris solemnitate ductam, quo modo etiam in Scriptura uxores dicuntur concubinæ.

XIX. Respondetur, 2. Sectarios non minus Inceos esse erga mores, quam erga doctrinam Catholicam: sibi semper luscus & lippos, quibus idcirco jure occini potest illud ex Matth. 7. v. 5. *hypocrite, egredere primum trabem de oculo vestro, & tunc videbitis egredere festucam de oculis aliorum.* Quomodo Lutherus falsus fuerit, ex Evangelio suo homines multò deteriores evasisse, supra vidimus. Calvinus idem de suis fatetur in Lib. de scandalis pag. 118. & 127. Sic scribens: *cum tot hominum milia abnegato Papatu cupide, ut videbantur, nomen dedissent Evangelio, quam pauci, obsecro, à suis vitijs respuerunt. imò quid præse major pars tulit, nisi ut excusso superstitionum jugo solutius in omnem lasciviam diffunderet?* Quod in Ecclesia Catholica multi mali inveniantur, jam dixi, nihil hoc ejusdem Veritati & Sanctitati obesse, quia Christus ipse prædixit, triticum cum Zizaneis, adeoq; bonos cum malis fore permixtos Matth. 13. v. 15. cit. qui etiam contra scandala Ecclesiasticorum satis ipse cautum esse voluit Matth. 23. v. 2. *ajens: super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisei; omnia ergo quæcumq; dixerint vobis, servate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Bene etiam de hac re Erasmus in Epist. ad Fratres inferioris Germaniæ sic inter alia scribit: *congerantur in unum Sacerdotum luxus, libido, ambitio, avaritia, & si quid præterea criminum est, totam hanc vitiorum lernam una superat heresis.*

XX. Cæterum nimij sunt hæretici in traducendis Ecclesiasticis ob eorum mores. Ex ducentis quadraginta quatuor Pontificibus 46. gloriosum pro Christo Martyrium subierunt, plures magnâ vitæ sanctitate Ecclesiæ præluxerunt, ut omnes viderent laudarentq; eorum opera bona: non nullos, ut Sergium, Joannem XI. Joannem XII. nolumus excusare; affirmamus tamen, hostem per malam illorum vitam tam parùm cathedræ Petri nocuisse, quam impios Alcium, Annam, Caipham, & hujusmodi Cathedræ Moysis. Ex reliquis Sacerdotibus si ante 100. annos non fuerint ex centum tres vel quatuor: (nimia utiq; Adversariorum exaggeratione) qui non concubinis conviverent, dicere hodie verissimè a usim, inter 100. presbyteros non tres aut quatuor, imò nullum esse, qui vel notam concubinam, vel alterius uxorem secum habeat. In Monasterijs autem tam Virorum quam Fœminarum talis viget Castitas & morum Integritas, ut nec ipsi illorum

hostes reperiant, quod merito nunc repræhendant.

XXI. De Lupanarijs bene notandum; aliud esse rem aliquam malam à Magistratu ad cavenda mala majora permissione merè tolerativâ contra propriam voluntatem fieri ac permitti; aliud rem eandem permissione approbativâ ex beneplacito fieri, atq; admitti. Equidem in nonnullis locis Catholicis lupanaria permittuntur, minimè verò approbantur; permittuntur, inquam, ad cavenda majora mala, ut sapientissimè fieri posse advertit S. August. Lib. 2. de ordine cap. 4. ubi hæc verba notatu dignissima habet: *Tolle meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus adulteriorum scilicet incestuum, &c.* Si ergo Adversarij tantam in hac tolerantia absurditatem agnoscant, prius cum S. Augustino rem transigant, postea ad nos redeant, & incusent, quod lapidem in loco jacere sinamus, quem ob nimiam gravitatem movere inde nequeamus; neque enim omnia peccata à Magistratu puniri possunt, ob nimiam peccantium multitudinem, ne tota res-publica exscindatur.

XXII. Primos in Germania Fidei Præcones errasse, impudens est contumelia hereticorum, qui nec consequenter suis principijs cavillantur. Tum quia a se, primis quinque sæculis omnia permansisse sancta, & incorrupta, ex quibus aliqui ex recensitis vixerunt, quomodo ergo non sancti fuerunt? vel si in fide erraverunt, quomodo Sancti fuerunt? Quod si solù in fundamentalibus non erraverint, neque nos in eisdem erramus, exactissime illorum doctrinæ insistentes. Taceo quod supra jam insinuavi, necire Adversarijs, quinam Articuli sint fundamentales. Cæterum de antiquis illis Germaniæ Præconibus rectius id D. Augustini Lib. 2. in Julianum dixeris: *illi sunt Episcopi & Pastores docti, graves, sancti veritatis acerrimi propugnatores, qui Catholicam fidem cum lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis magnisq; ministraverunt.*

XXIII. Tertius Error est prædictorum hæreticorum, etiam inter illos fuisse multos sanctos. Nimirum 1. Infantes illos, qui post Baptismum ante rationis usum discesserunt. 2. Martyres, qui pro fide Christiana vitam posterunt. 3. Non paucos moraliter bonos. Negant etiam, se improbare bona opera; imò ajunt, se bona opera non solum laudare, sed etiam tanquam moralia fidei signa requirere, siquidem ij, qui male vivunt, non rectè credunt.

XXIV. Error iste notior vulgò est, quam multis refutetur. Labet brevissimè meminisse historiæ, quæ in Franconia ante aliquot annos contigit, & proposito nostro apprimè convenit. Voluit Nobilis quidam Dominus in Templo erigere Altare; & quia alium sculptorem quam Catholicum habere non poterat, huic illud commisit. Cum igitur confectum Domino exhiberetur, statim iste utpote Lutheranus displicentiam magnam ostendit ex tot Episcopis ac Sanctis Romano-Catholicis in eo expressis. Et quia Sculptor inde timebat mercedi suæ vel negandæ, ut saltem imminuendæ in iram surgens, quomodo, inquit, Domine, isti Sancti per tot sæcula apud omnes Christianos fuerint in honore, & jam isto priventur? nominate mihi alios Lutheranos Sanctos, quos in illorum locum, approbante Orbe Christiano, substitutam? quia hæcenus in templis vestris nullos vidi, quos in Altari hoc exprimere potuis-

potuiffem. Dominus hanc Sculptoris loquendi libertatem obftupescens tacet, nihilque amplius contra Sanctos Catholicos obijcit. Ecce vulgò notum est, in novis Sectis non esse invenire novas Sanctos. De reliquo ea est virtutis ac sanctitatis præstantia, ut etiam illi, qui eam habent, nec curant, videri tamen velint eadem exornari, unde non obscure jam concedunt Sectarij, sanctitatem Ecclesiæ veræ deesse non posse, atq; hæc ex illa esse dignoscendam.

XXV. Argumenta allata nihil evincunt. Non i. Quia Infantes illi, cum non ex doctrina seu actuali fide, sed solum ex Baptismo sanctificati fuerint, nequaquam ad Lutheranam, aut Calvinisticam, sed ad Ecclesiam Catholicam pertinent, ad quam etiam ipse spectat Baptismus, & à qua Ecclesia Sectarij illum habent, ut in simili etiam notavit Cyprian. Epist. 73. contra Novatianum.

XXVI. Ad 2. Quia Martyres illi pauci, & obscuro (sæpe etiam aliorum scelerum rei) ejus fuerunt testes, ejus fidei testimonium perhibuerunt, nempe non Christi, sed Diaboli, cum hujus mendacijs seducti veritati Christi saltem non in omnibus crediderunt. Præclare D. August. in Psal. 34. Conc. 2. de similibus scribit: *Martyrem non facit pena, sed causa.* Verum de hoc argumento plura infra. Hic non tacerim, videri Sectarios innuere velle Joannem Hus & Hieronymum de Praga Constantiæ combustos suos fuisse Martyres; sed risu apud omnes Doctos excipiuntur. Nam notum est, istos obstinatos hæreticos penitus adhæsisse Joanni Wicleff Anglo; ex cujus scriptis Jodocus Coccius Tom. 1. Thes. Lib. 8. c. 4. numerat 65. puncta Lutheranae Sectæ opposita.

XXVII. Non 3. Quia homines illi moraliter boni, si qui tales apud sectarios reperiuntur, non evaserunt hujusmodi ex vi & ductu Evangelij, quod profitebantur, quæ enim sanctitas ac morum integritas velut fructus boni enasci possint ex semine hujusmodi doctrinarum: fides sola sufficit, ad justificationem & salutem? Item summa res & sapientia Christianorum est, nescire Legem, ignorare Opera bona & totam justiciam activam? Lutherus in argumento Epist. ad Gal. Comment. 2. Tom. 8. Wittenberg. scribit: *quantò sceleratior es, tantò citius Deus suam gratiam, infundit.* Idem reperit in Serm. de piscatura Petri &c. Ubi etiam ait: *non operibus, sed nudâ fide indigemus; si adornes te, ut catur bonis operibus, nihil efficiet.*

XXVIII. Interim non negaverim, subinde bonitatem indolis & naturæ vincere forsan improbitatem prædici Evangelij, ut in nonnullis moralis quædam bonitas appareat. Quod si tamen hi ipsi cum honestate morum pertinaciam falsæ fidei habuerunt adjunctam, indubitatum est, eos salvari non potuisse, si ita ex hac vita discesserint; siquidem impossibile est, sine fide placere Deo. ad Hebr. 11. v. 6. Audiamus D. Augustinum Lib. 4. Cont. Donatistas cap. 10. *Constituamus, inquit, aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, hospitalem, indigentibus ministrantem, non cujusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum emulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed hereticum. Nulli utiq; dubium est, propter hoc solum, quod hereticus sit, regnum Dei non possessurum.* Taceo hæreticos nec unum quidem adultum nominare posse, quem utriq; fateamur in fide, quæ Romano-Catholicæ adversatur, fuisse salvatum; cum tamen è contrario Adversarij multos fidei

nostræ cultores pro sanctis agnoscant, inter quos Luth. Lib. de Cap. Babil. de Eucharist. etiam *Thomam Aquinatem appellat sanctum*, uti verissime nectetur.

XXIX. Ex his jam Constat, quid Sectarij cum suo Luthero de bonis operibus, & peccatis sentiant, quomodo suadeant illa, ab his absterreant. Solum adverte, quàm fraudulentè Prædicantes populo illudant, dum illis viam salutis palam tam facilem ostendunt per solius fidei justificationem, & interim clam asserunt, sine bonis operibus non stare fidem veram. Quid hoc miseros juvat? Nam quocunq; titulo necessaria sint opera bona, sive per modum causæ, sive per modum effectus Justitiæ, nihil magis, illis prodes, siquidem utroq; modo sine operibus damnabuntur.



CONTROVERSIA XVIII.

DE UNIVERSITATE ECCLESIAE,

UNIVERSALE IDEM EST, ac Catholicum, quod tribus modis esse potest; Vel ratione Loci per universum Orbem: vel ratione Temporis per continuam durationem: vel ratione Hominum non in alijs, quàm Ecclesia salvandorum. Hæc Triâ licet aliqui confundant. Nos tamen potissimum de Universitate, i. modo sumpta hic agimus.



PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina Prima, Vera Christi Ecclesia debet esse Universalis, hoc est, per totum Orbem diffusa non ex hominis testimonio, sed ex promissione Dei. Ita tria symbola Apostolicum Nicænum, & Athanasium, quæ vocem *Catholica* tribuunt Ecclesiæ; unde indubitatum est, eandem vocem ab Apostolis provenire, semperque ab Apostolis fuisse usitaram. Probatur ex prædicationibus Veterum Prophetarum, qui veram Dei notitiam in omnes Gentes disseminandam prædixerunt ad discrimen scilicet Judiciæ Synagogæ inter angustos Palestinæ limites conclusæ, Gen. 22. v. 28. Angelus Abrahæ dixit: *benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ*, hoc est, in Christo, ut exponit Apostolus ad Gal. 3. v. 16. *Abrahæ prædicationes sunt promissiones, & semini ejus, non dicitur & seminibus, quasi multis, sed quasi in uno, in semine tuo, qui est Christus, cui pater Cœlestis pollicitus est Psal. 2. v. 8. postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam &c. Psal. 21. v. 28. Converterentur ad dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conspectu eius universa familia Gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Malachiæ 1. v. 11. ab ortu solis usq; ad occasum magnum est Nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Idè prædixit Christus Mat. 14. v. 14. & præ-*

gha.  
Ver  
ologia  
mica  
XI  
9<sup>a</sup>

Et predicabitur hoc Evangelium regni in universo Orbe in testimonium omnibus Gentibus. Mei scilicet erga omnes affectus & curæ salutis omnium.

II. Ex his & alijs scripturæ locis colligunt S.S. Patres apud Bellarm. Lib. 4. de Notis Ecclesiæ, Valentiam, Suarez, & alios, Evangelium non obiter tantum & clam, ut tempore Apostolorum contigit, toto orbe promulgandum, sed publicè ac solenniter, permittentibus imò amplexantibus illud omnibus Regibus & Regnis terræ factâ subditis potestate idem liberrimè amplexandi: præconibus verò Evangelii licentiâ evulgandi, Sacramenta omnia administrandi, templa fundandi &c. Bene autem advertunt Tiranus & alij scripturæ Interpretes, hanc Ecclesiæ universitatem intelligendam non mathematicè per singulos locos, sed moraliter per omnes Nationes, Regna, Provincias & Urbes. Item non simul, sed successivè ac vicissim; quamvis Franciscus de Paula prophetasse dicatur, ut refert Cornel. à Lapide in fine Apocal. tandem totum mundum fore Catholicum à 12. Sanctis Regibus gubernandum, donec veniat Antichristus juxta prædicationem Christi Matth. 24. v. 15. & tunc veniet (brevis scil. totius mundi) consummatio & finis.

III. *Doctrina Secunda.* Ecclesia nostra Romana verè per universum orbem est diffusa; adeoq; verè Catholica. In hoc totus Orbis Christianus conspirat, ut esset distinctivum ab omni Secta symbolum. Adeoq; sumus in antiqua possessione hujus Nominis. Pulcherrimè Pacianus Episcopus Barcinonensis in Biblioth. Patrum To. 1. col. 204. *Christianus, inquit, mihi nomen est: Catholicus verò mihi cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probat, inde significo &c.* Item: *ab hæretico nomine nosser populus hæc appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur.* Rursus idem prædictus Pater, qui 30. annis ante exortam Arianorum hæresim scripsit: *Verbum Catholicum, ait, à præcipuis Patribus fuisse usurpatum per tanta secula; omnia scilicet prima à tempore Apostolorum.* Idem docet experientia; nulla enim Mundi pars ostendi potest sive ad Orientem, sive ad Occidentem, sive ad Septentrionem, sive Meridiem, ubi non reperiantur aliqui Catholici etiam in medio Turcarum & hæreticorum v. g. in Anglia, Holandia, Dania, Suetia &c. atq; abunde jactura, quam Ecclesia per apostasiam Turcarum, & hæreticorū tulit, compensata fuit per conversionem Indorum, ubi fides indes crescit ac dilatatur. Præsertim in China, quod est amplissimum Regnum mundi continens 15. Provincias, quarum quælibet major est quovis regno Europæ. Præclare hac de re scribit Augustinus de vera Relig. cap. 7. *Catholica nominatur non solum à suis, sed etiam ab omnibus inimicis; velint enim nolint, ipsi quoq; hæretici, & schismatici Alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam (Ecclesiam) nihil aliud, quam catholicam dicunt, non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quod ab universo orbe nuncupantur.* Hinc idem contra Epistolam Fundamenti cap. 4. Sapientissimè concludit: *tenenda est nobis Christiana Religio & ejus Ecclesia communicatio, quæ Catholica est, & nominatur non solum à suis, sed etiam omnibus inimicis.*

IV. Dicent Adversarij. Ecclesiam nostram passim etiam vocari Papisticam, item Romanam. Resp. nomen Papistarum non nisi à sætarijs nobis imponi, more veterum hæreticorum, qui invidentes Catholicis antiquam & per tot secula præ-

scriptam appellationem varijs alijs agnominibus traducebant: v. g. Valentiniani vocitabant illos simplices: Montanistæ Psychicos, seu Animales: Donatistæ Macaranos; Origenistæ Philofotas & Animales, Vigilantius Cinerarios: Azephali Synotitas: Græci Azimitas: Ariani Homusianos &c. Quod si nomen Papistæ consensum & unionem cum Papa denotet, id non falsæ Religionis nota est, sed usu Christi Ecclesiæ semper orthodoxi symbolū fuit; sicuti etiam nomen Romani olim non nisi Catholicæ, adeoq; orthodoxæ Ecclesiæ attribui consuevit. Sunt igitur ista Catholico Nomi- ni non inimica. Rectè hac de re scripsit D. August. Lib. de utilitate credendi cap. 7. *una est Catholica Ecclesia, cui hæreses alia diversa nomina imponunt, cum ipse singula proprijs vocabulis (v. g. hoc tempore Lutheranorum, Calvinistarum, Zvinglianorum &c.) quæ negare non audeant, appellentur.*

V. Urgent ex solo nomine non esse firmum argumentum juxta illud Apoc. 3. v. 1. *nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Distig. Antec. secundum se præcisè sumptum, concedo: cum re conjunctum & singulari Dei providentiâ veræ Christi Ecclesiæ attributum ac conservatum, nego. Hoc autem posterius ex ipso eventu cognoverunt Patres jam quarto & quinto sæculo, ut videri potest in Papatu Catholico Jacobi Keller Art. 2. v. 4.

VI. *Doctrina Tertia.* Nulla secta hæreticorum totum orbem permeavit, sed angusto Septentrionis limite conclusa manet, atque indes magis restringitur per divisiones in plures sectas; unde quælibet imminuitur. Pro hujus doctrinæ probatione faciunt chartæ lusoriae, quæ in Romano Imperio circumferuntur 52. Folijs constantes, in quibus universus terrarum orbis repræsentatur, & singulis chartis certæ Provinciæ assignantur. In his folijs duo solum sunt, in quibus Communitates Lutheranorum habitantes reperiuntur. Ecredibile videatur, veram Dei Ecclesiam & populum selectum in talibus angustijs contineri, dèque ijs intelligi prophetias supra allatas de amplissima ad fidem veram conversione Gentium Populorum, ac finium terræ?

VII. Quas etiam Gentes ad fidem veram Christi converterunt hæretici? Nullas. Solum Christianos in Europa perverterunt, tritico veræ fidei Zizania sua superseminando, ut indicat Christus Matth. 13. v. 25. Quod ipsum fecerunt in Indijs nonnulli, qui Evangelij prædicandi causâ illuc venerunt; ubi tamen cum mulieribus ita scandalose vixerunt, ut tanquam intolerabiles in Patriam suam regredi debuerint. Videatur de hoc argumento Epistola P. Martinij Martiniij, quam Chinas repetiturus dedit Romæ ad P. Laurentium Forer. Refert illam Pater Vitus Erberman in libro suo, cujus titulus: Trophæa Romana S. Catholice Ecclesiæ &c. fol. 34. Nec apparet, quomodo hæretici ullum Ethnicum convertere possint, cum nulla habeant media huic rei difficili apta. Nam unicum Fidei persuadendæ motivum agnoscunt Sac. Scripturam, quam nec otrant, nec recipiunt Gentiles. Unde ergo illos inducant, ut credant Deum Cœli terræq; Creatorem unum in Natura, Trinum in Personis, Dominum omnium, cujus imperio omnes homines obedire debent, alias æternis supplicijs multandi? Profectò in conversione Ethnicorum initium sumendum est à naturalibus & Philosophicis rationibus, quibus partim ostendatur manifesta falsitas idololatriæ,

partim Christianorum doctrina & prudentia cum morum integritate conjuncta demonstratur, ut sic prædicationibus fides concilietur etiam ad supernaturalia credenda, cum merito cogitare debeant, viros tam doctos & probos nec ex malitia, nec ex ignorantia fallere, adeoque merito illis fidem habendam, quando mysteria à Deo revelata prædicant.

## PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI-  
CORUM.

VIII. Primus error est Lutheranorum apud Gerhardum Lib. 2. P. 1. fol. 863. & Calvinistarum apud Amef. fol. 62. Ecclesiam veram Christi non esse Catholicam in eo sensu, quo supra S. 1. exposuimus. Moventur. Quia Ecclesia Christi nec fuit ab initio sic diffusa, sed solum intra Judææ fines conclusa: nec erit, utpote in fine mundi ad tantam paucitatem redigenda, ut vix ullum fidelium sit reperire; sicut innuit Christus Luc. 18. v. 8. *filium hominis veniens putas fidem reperiet in terra.* quia scilicet omnes Antichristo adhærebunt, ut indicatur in Apoc. c. 13. v. 16.

IX. Contra hunc errorem stat doctrina nostra firma, quod sola Romana Ecclesia habeat nomen Catholicum per continuatam suam amplitudinem cum re conjunctam; cujus rei testes sunt singulorum sæculorum P. P. ac D. D. qui hanc unicam Romanam tanquam verè Catholicam Ecclesiam semper agnoverunt, & amplexi sunt: extra illam autem omnes alias Sectas, ut falsas & apostaticas derectati fuerunt. Unde Vincentius Lirinensis adversus hæreses: in *Catholica*, inquit, *Ecclesia magnopere curandam est, ut id teneamus, quod ab omnibus creditum est, hoc enim verè propriè, Catholicum est, quod ipsa via variè, Nominis declarat, seu, ut idem planius explicat, quod habet Universalitatem, Antiquitatem & Consensionem.* Nam Græcum nomen sonat *totus*; unde *καθολικός*, ut præter cæteros Patres notat D. Augustinus Lib. 3. cont. Gaudenrium Donatist. cap. 1. ajens: *hinc enim Græco vocabulo Catholica nominatur, quod enim Græce *καθολικός* dicitur, latine totum interpretatur atque Universale. Per totum ergo sive secundum totum est *καθολικός*, id est, Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur; quemadmodum statim cum ipsis Apostolis toto orbe diffundi cepit juxta illud D. Pauli ad Rom. i. v. 10. *Fides vestra annuntiatur in Universo Mûndo.* Videant etiam Adversarij S. Optatum Milevitanum Lib. 2. Bibl. S. S. Patrum Tom. 4. p. 273. H. ubi ipsorum errorem, qui idem est cum Donatistis, egregie refutat.*

X. Respond. ad argumentum: paucitatem primitivæ Ecclesiæ non obesse ejus Universalitati, cum vix unum alterumve annum duraverit, donec Apostoli in orbem universum divisi proficiscerentur: Idem dici potest de paucitate in fine mundi (dato, non concessio, quod Ecclesia desinere esse universalis) quia etiam persecutio Antichristi non nisi tres annos, & medium duratura est, ut ex Daniel cap. 7. ostendimus in Controy, de Antichristo. Addo, nobis hic sermonem esse de Ecclesia adulta: nec hanc in fine mundi ad tantam paucitatem redigendam, ut non amplius in potissimis partibus ac plagis Mundi ad Orien-

tem, Septentrionem, & Meridiem, adeoque verè Universalis reperiat. Unde recte Tirinus in cit. loc. Apoc. ait, adorasse bestiam, & Antichristo adhæsisse eos solum omnes, qui non erant veri & probi Christiani, respectu quorum, quia boni pij ac ferventes in fide pauci erunt, bene potuit Christus conqueri allatis supra verbis. Taceo prædicta Christi verba non absolute, sed solum conditionate prolata esse, ut bene notat D. Aug. de unit. Eccl. c. 13.

XI. Quod si Sectarij velint, ut expresse scribunt Hunnius & Heilbrunner apud Tanner Tom. 3. fol. 183. relati, Ecclesiam Catholicam vitio hominum & malâ voluntate defecisse sub Paparu, & ad eam paucitatem, quæ apud ipsos Neotericos est, fuisse redactam &c. si, inquam, hoc velint, produnt, se ejusdem esse farinae, cujus olim fuerunt Donatistæ, hoc ipsum D. Augustino objicientes, ut videre est apud S. Doctorem Lib. de unit. Eccl. Cum quo.

XII. Dicimus 1. Si omnes etiam Antichristi persecutiones & defectiones à fide in S. Scriptura prædictæ expendantur, nusquam colligi, Ecclesiam Christi veram ita defecturam sub Antichristi tyrannide, ut idcirco per totum orbem non sit divisa, sed potius contrarium, ut videre est in parabolis Zizaniorum Matth. 13. v. 30. *mittite utraq; (triticum est Zizania) crescere usq; ad messem.*

XIII. Dicimus 2. Ecclesiam iuxta S. Scripturæ vaticinia deficere necdum potuisse, ut ex Matth. 24. supra cit. colligitur, quia finis mundi nondum adest, nec adesse prius potest, quam Evangelium per universum orbem prædicatum sit, ut bene ostendit D. August. cujus verba vide apud Tannerum loc. cit.

XIV. Dicimus 3. Prædicantes in hac sua opinione supponere, & absque fronte calumniari, Papam esse Antichristum, & hinc ostendere velle, Ecclesiam veram ita deficere debuisse juxta Prædictionem Christi Matth. 24. cit. cum tamen hoc ipsum adeo execrabile figmentum vel ex ipso Matth. loco clarissimè refutetur; quippe constat inde v. 22. abbreviandos esse dies regni Antichristi propter Electos; qualis autem esset hæc abbreviatio, si, ut volunt Sectarij, Antichristus in Pontificibus Romanis regnasset jam per mille & amplius annos, ut ita scilicet regnum Antichristi fuerit diuturnius, quam Christi? brevior perihodus veræ Christi Ecclesiæ, quam Sinagogæ Antichristi? major amplitudo ac potentia Diaboli, quam virtus Christi?

XV. Lutherus advertens Ecclesiam suam & recentem & angustam esse, facileque inde reddi suspectam, erasit è Symbolo Apostolico vocem *Catholicam*, & impiè ac sacrilegè substituit *Christianam* Ecclesiam in Catechismo Germanico. Nec dici potest, Lutherum in hoc uti voluisse verbo germanico. Nam Christianum tam parum est verbum germanum, quam Catholicum, & non minus istud quam illud à Germanis intelligitur, quid significet. Et si adeo suis Germanis servire voluit, cur non posuit in lingua eorum *Allgemeine* (latine universalem) Ecclesiam? scilicet vidit, hoc sibi vocabulum esse inimicum. Lutheri successores cum verbum Catholicum eliminare non possent, ita illud interpretati sunt, ut vel omnino non universalitatem locorum denotaret, sed totalitatem Scripturæ; quod verè Christi Ecclesiæ totalis Scripturam reciperet; vel eam universalitatem

tatem locorum non significaret nisi cum triplici hac limitatione. 1. quod vera fides non simul per totum orbem dilatanda sit, sed successivè ex uno in alium locum transferenda. 2. quod vera fides non semper debeat esse in omnibus locis, sed sufficiat, si uno tempore ubique fuerit, sicut fuit tempore Apostolorum, & in primis seculis, respectu quorum semper retinet nomen Catholicæ. 3. quod necesse non sit, ut vera fides omnibus Gentibus positivè communicetur, sed sufficiat, si nulla Gens excludatur, sed quilibet, cujuscunq; Nationis sit, si velit, ad veram fidem admittatur.

XVI. Verùm hæc frivola & inania sunt effugia. Nam quod spectat ad interpretationem; ista profus non responderet Prophetijs apertè multitudinem locorum & Gentium asserentibus, & de hac semper à P.P. intellectis. Taceo non omnes Libros Canonicos à Sæcularijs recipi, ut ex supra dictis de Scriptura patet. Quod ad limitationes attingit, nulla illarum satisfacit. Non prima; quia dilatio Fidei in aliam Provinciam & Urbem sit quidem successivè, ut supra notavimus: Catholica verò, hoc est, per omnes quatuor mundi partes diffusa fuit eadem Fides jam tempore Apostolorum, ut testatur Paulus ad Rom. 1. cit. & ad Coloss. 1. Non secunda; quia juxta Christi prædicationem Matth. 24. factà prædicatione Evangelij per universum mundum mox finis hujus erit, id quod tempore Apostolorum non accidit. Non tertia; quia juxta prædicta vaticinia omnes Gentes re ipsà ingredientur in Ecclesiam Christi, non solum ingredi poterunt, eò quod omnibus janua pateat; aliàs omnes in Urbe aut Provincia Romana existentis dici possent jam esse in Vaticano, sive templo S. Petri, quia omnes possunt intrare, & omnibus patet janua.

XVII. Secundus error est, fuisse tempus, cum neq; Romanorum Ecclesia prædicto modo esset Catholica, sed prævaleret Arianismus, teste D. Hieron. Dialogo contra Luciferianos, ubi ait: *ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est.* Urget apertè istud factum ex Calvinistis Petrus Molinæus in novo Papatu fol. 60. ubi addit, inter Latinos Patres & Episcopos etiam Papam Liberium & Felicem Arianis subscripsisse.

XVIII. Ad erroris hujus refutationem & rei intelligentiam præmittenda est historia de origine Arianismi, quæ ita se habet. Cùm Arius Presbyter Alexandrinus fidem petens in Capite Christi divinitatem negasset, eum puram creaturam asseverans, & nonnullis jam errorem suum persuasisset, adnitente Constantino M. Imperatore à Concilio Niceno Anno 325. est damnatus. Sed hæresiarcha ille eluso Principe per pœnitentiæ speciem aliquot post annis toxicum suum in Oriente latius sparsit, cui opposuit se se Ecclesia in Occidente, & anno 359. sub Imperatore Constantio Ariano Arimini in Italia Concilium celebravit, & Nicænum Fidei Symbolum Ario contrarium corroboravit, quo intellectu Ariani ad occidentales Episcopos in suam sententiam trahendos callidâ fraude simulârunt, se ab illis in re non dissentire, sed solo nomine; fateri enim Filium omnino similem esse Patri, & non sicut creaturas, sed Consubstantialem: & *quædam* non posse ferre propter novitatem vocabuli in Scriptura nunquam rependi. Si igitur hoc novum & peregrinum Nomen abolerent, se in re ipsa facile conciliatum iri. Quo audito Catholici Episcopi

pro Christiana simplicitate nihil fraudis suspicati existimârunt unius vocabuli gratiâ non perturbandam Ecclesiæ unitatem; sed Græcis in hac parte cedendum. Subscripserunt igitur decreto Græcorum, quod Christus non sit Patri Consubstantialis, & *quædam* vocandus. Quo factò Græci passim triumphârunt, etiam Occidentales Episcopos secum sentire, exhibito decreto ab ipsis subscripto; addendo Filium, etiam si Patri non sit similis, sicut Creaturæ reliquæ, sed sublimiore quâdam ratione illum exprimat, re ipsâ tamen eidem Patri esse similem duntaxat, & non Consubstantialem. Ex hac sincerissima narratione clarissimè apparet, quomodo intelligendum, si dicitur *Arianismo totum mundum fuisse occupatum.*

XIX. Nam 1. Factum est illud solum ab Episcopis in Concilio collectis, & quidem merè externis verbis, non animo & consensu interno, sine quo verba externa nullam habent vim; unde etiam Vincentius Lirinensis à Molinæo adductus ait, Episcopos Latinos fuisse partim deceptos, partim coactos. Non potest igitur dici, eosdem formaliter hæreticos extitisse, sed tantum materialiter hæresi Arianæ subscripsisse, quod etiam indicat Ambr. Lib. 3. de Fide cap. ult.

XX. 2. Pronunciatum illud D. Hieron. *ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est*, non propriè & rigidè, sed impropriè, & hyperbolicè intelligendum, quasi dixisset magnum numerum fuisse eorum, qui Sæcæ Arianæ tunc adhæserunt; ad eum fere modum, quo Joan. 12. v. 19. Pharisei dixerunt: *ecce totus mundus abit post eum.* Evidens autem est, tales sermones non propriè sumi. Quamvis igitur Arianismus in Oriente magnam partem hujus infecerit, in Occidente tamen malum eò non venit, teste Basilio Epist. 72. ubi ad Catholicos scribens & ad constantiam in fide adhortans: *stare, inquit, in fide, ipsum Orbem inspicite & videte, quàm modica sit Portio, quæ hoc morbo (Arianismi) laborat: reliqua verò Ecclesia, quæ ab orbis sinibus usq; ad fines Evangelium recipit, sanam & rectam hanc doctrinam recipit.*

XXI. 3. Falsum esse, quod Molinæus de summis Pontificibus è divite suo mendaciorum loculo adjecit; Nam Liberius in Catholica fide semper constans subscripsit Condemnationem Athanasij solum ob quædam scelera, quorum fuit ab Adversarijs accusatus, quem excusat ipse Athanasius scribens ad Solitarios, quod ex timore mortis coactus fuerit. Felix verò prius quidem, quàm legitimus esset Papa, familiaritatis æquo egit cum Arianis, postquam verò Sedi Apostolicæ ritè fuit impositus, & huic Arianæ & omni alij hæresi fortiter contradixit, & pro fide Catholica etiam fuit mortuus. Videatur Bellarm. de Rom. Pont. Lib. 4. cap. 9. & Foretus de Antiquitate Papatûs Lib. 1. cap. 17. num. 7. ubi etiam refert, D. Hieronymum Episcopos illos Occidentis à formali hæresi excusantem his verbis: *currabant Episcopi, qui Ariminenibus dolis irretiti sine consensu hæretici sevebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos: Puzavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labijs profertur existimavimus, decepti nos bona de malis existimatio.*

XXII. Tertius error est eorundem Lutheranorum & Calvinistarum suam etiam Ecclesiam jure vocari Catholicam. Tum quia Imperatores Romani,

mani, ut ait Heilbrunner in suo non Catholico Papat. fol. 460. edito publicarunt, ut illi, qui Articulus de S. S. Trinitate confiterentur, titulo Catholicorum uterentur. Tum quia Ecclesia sua Apostolorum doctrinam & fundamentum nititur Sacris Litteris univervum consentaneo. Tum quia Bellarm. in Præfat. Tom. 1. sic scribit: quis ignoret, pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam mox Germaniam pæne totam occupasse: deinde Aquilonem, Orientemque profectam Daniam, Nortvegiam, Suetiam, Scotiam, Pannoniam absumpsisse, tum ad Occidentem & Meridiem pari velocitate delatam.

XXIII. Equidem volunt docentque nobiscum Sectarum, veram Christi Ecclesiam esse Catholicam, & suam jactant talem. Sed cum quinque primis sæculis Ecclesia Catholica in fide cum Romano Pontifice communicavit: & tunc temporis usque ad inchoatam reformationem nulla fuerit Catholica præter eam, quæ cum Romano Pontifice in fide consentiebat, quomodo Ecclesia Lutheranæ & Calvinistice adeo à summo Pontifice in fide aliena potest esse Catholica? Ulterius contra hunc errorem est, quod Lutheri & Calvini Sectæ in aliquibus tantum partibus Septentrionalibus multiplicata videntur, & in illis ipsis permixti sint Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ &c. Idem plures inter ipsosmet Sectas esse, quæ se mutuo dâment. Rifu igitur planè dignum est, velle Lutheranos & Calvinistas Ecclesiam suam esse Catholicam, ac per totum orbem diffusam, & non posse nominare locum, in quo extra exiguum Europæ partem reperiantur. Argumenta allata nullius prorsus sunt momenti.

XXIV. Respond. ad 1. Imperatores Romanos voluisse pro Catholicis haberi debere, qui mysterium Sanctissimæ Trinitatis confitebantur, quia tunc solus iste fidei Articulus controvertebatur; Nuncautem alij articuli inter orthodoxos, & hæreticos in Controversiam trahuntur. Illi ergo soli appellandi sunt Catholici, quibus hoc nomen à toto orbe amicis aequè; ac inimicis tribuitur, & apud quos huic Nomini res ipsa correspondet, nempe Romano Pontifici Petri in sede Apostolica Successori & Christi in terris Vicario adherentes. Videri potest Jacobus Keller in Catholico Papatu Tom. 1. à fol. 327.

XXV. Ad 2. Sac. Scripturam secundum genuinum hujus sensum, atque interpretationem non admitti ab hæreticis, ex dictis abunde constare; ut taceam iterum, Prophetas à nobis juxta communem S. S. Patrum sensum adductos non agere de universitate Scripturæ, sed locorum potissimum Mundi. Dicere autem in omni mundi parte omnique tempore latere Lutheranos, aut Calvinistas soli Deo cognitos, aut illorum Sectam successis temporis per totum orbem diffusam iri, est inane delirium. Ex quo enim fundamento dicere possunt, latere ubique suos, sed sibi incognitos? Verius putari possunt istæ Sectæ penitus brevi periturae, tum quia quotidie diminuuntur, tum quia Lutheranismus in Calvinismum, hic in Atheismum haud obscure ac modicè degenerat.

XXVI. Ad 3. Verba Card. Bellarmini male intelliguntur. Nam divisio Orientis & Occidentis &c. bifariam sumi solet. 1. respectu totius Mundi superioris & inferioris, quo modo in in-

feriore orbe est Germania ad Septentrionem, Palæstina ad Orientem, Africa ad Meridiem. Hispania ad Occidentem; & hoc sensu Ecclesia debet esse Catholica per 4. plagas dispersa. 2. Respectu cujuslibet partis mundi, sicut quælibet Provincia & Urbs habet partem orientalem, occidentalem &c. v. g. Romæ porta, quæ respicit Orientem, dici potest orientalis: quæ Occidentem-occidentalis: quæ Meridiem meridionalis: quæ denique Septentrionem, dici potest septentrionalis, atque hoc sensu Bellarm. dixit, Lutheranismum per quatuor mundi plagas dilatatum, scilicet respectu Germaniæ & vicinarum Regionum, quæ universalitas non sufficit, ut inde Ecclesia denominetur Catholica.

XXVII. Error quartus. Ecclesiam Romanam non posse dici Catholicam. Ita ex communi aliorum hæreticorum sensu Petrus Molinæus in Papatu novo fol. 112. Ratio est. Tum quia viderur implicantia in adjecto, Ecclesiam in toto Orbe diffusam mœnibus includi Romanis; unde Heilbrunner fol. 459. Papatûs sui in margine ait: Catholisch-Römisch ist ein Hülzenes Schier-Eisen hoc est, Catholico-Romanum esse ligno-ferrum sive chymæram. Tum quia Romana Ecclesia est Mater aliarum Ecclesiarum. Tum quia sub finem mundi Apostatabit Apoc. 17. & 18. Ecclesiâ Catholicâ adhuc perseverante.

XXIX. Error iste manifestè repugnat Sanctis Patribus pro eodem Ecclesiam Catholicam, & Romanam accipientibus. S. Ambrosius orat in obitu Fratris hæc habet: *percontatusque, ex eo est verumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret? Hieron. adversus Ruffinum sic scribit: fidem suam, quam vocant? eamne, quæ Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Originis voluminibus continetur? Si Romanam responderit. Ergo Catholicus sumus.* Similia alij P. P. habent, quibus addi potest Theodosius Junior Imperator Epistolâ ad Acharium cap. 10. Religionem veram appellans Religionem Romanam. Hanc Patrum doctrinam priori parte jam dedimus; pro cuius nunc intelligentia advertendum. Nomen Ecclesiæ Romanæ dupliciter accipi solere. 1. Pro particulari coetu Fidelium in urbe Romana degentium. 2. pro Universali Ecclesia per totum orbem diffusa. Priori modo accepit Pius IV. in Professione Fidei post Concil. Trident. composita & præscripta, cui etiam hunc Articulum inseruit: *Sanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco: Posteriori modo sumpserunt P. P. ut videre est in Catholico Papatu Jacobi Keller P. 1. fol. 338. Tum quia Roma est sedes Visibilis Capitis Ecclesiæ Catholicæ, Tum quia Magistra est Fidei; unde Imperatores suos subditos ad Romanum Pontificem amandarunt. Lege 1. Cod. de S. S. Trinit. Tum quia Princeps est omnium Ecclesiarum, ad cuius Principatum omnes Ecclesiæ profiteri se debent, ut tradit Jrenæus adversus hæreses Lib. 3. cap. 3. Tum quia iidem Patres ex antiqua traditione sibi persuaserunt, Romam ex singulari Dei providentia fidem amittere non posse. Hinc apparet, quàm insulsus & puerilis sit hæreticorum rifu; an nesciunt sæpe per synecdochen totum ab una parte nominari, v. g. Archiepiscopatus ab urbe Salisburgo; An non antiquitus Romanum imperium fuit univervale, & per totum terrarum orbem diffusum,*

Q 2

&amp; tan e 1

& tamen ab urbe Roma pendebat? cur non etiam tota Christianitas etiamnum hodie à Romana Ecclesia pendere possit?

XXX. Ad 1. Igitur in oppositum negamus, Catholico-Romanum esse chimeram, idemque quod ligno-ferrum. Quid ergo sibi volunt hæc verba Pauli ad Rom. 1. v. 8. *Fides vestra annuntietur in universo orbe?* Nunquid Fides Romana, de qua loquitur Apostolus, fuit Romana? cur Catholicum & Romanum non possint conjungi, aut unum pro altero poni? Ridet ergo Heilbrunner insanè, non Nos, sed Apostolum, & SS. Patres scurili planè audaciâ. Ad 2. dicimus, Ecclesiam omnino esse Matrem, & sic à filiabus distinctam, atque hoc modo nomen Ecclesiæ Romanæ Pium 4. accepisse pro particulari Ecclesiâ Urbis Romanæ, quæ non includit alias Ecclesias, sed omnes respicit tanquam subditas, & ideo dicitur Catholica, sicut quilibet fidelis dicitur Catholicus, quia omnium aliarum Ecclesiarum Fidelibus consentit. Sed non obstat hoc, quomnius alio sensu dicitur universalis juxta sensum prædictum, quo Patres illud nomen acceperunt. Ad 3. nihilominus Ecclesiam Catholicam posse dici Romanam per ampliationem, perinde ut crepusculum vespertinum adhuc dicitur dies, licet sol jam occiderit. Taceo non omnes forsan Romanos à Fide defecturos, de quo videri possunt Commentarij. Et nos infra in Controversia XXVI. An omnes Pontifices debeant esse Romani. Videantur DD. à Walenburch. Tom. 1. Lib. 5. de Unit. Ecclesiæ, ubi diffusionem Ecclesiæ Romano-Catholicæ à cap. 6. pluribus contra Joannem Crocium Professorem Cassellensem Calvinistam (cujus argumenta ex ijs, quæ diximus, haud difficulter apparent soluta) defendunt, & eruditè ostendunt, præter Ecclesiam Romano-Catholicam à primis quinque sæculis usque ad tempus Lutheri & Calvinii impiorum susceptæ ac prætensæ reformationis Authorum, nullam veram Ecclesiam Christi JESU assignari posse, sed omnes alias Sectas, earumque Magistros turpiter & multipliciter errasse, ac deviasse.

## CONTROVERSIÆ XIX.

### DE ANTIQUITATE ECCLESIAE, sive an hæc sit Apostolica?

Nomen Ecclesiæ si largius accipiatur, nemini dubium esse potest, quin antiquissimum sit; etenim sic omnes Fidelium cœtus complectendo cepit ab initio mundi in familia Adami, & hucusque per annos fere sexies mille duravit. Verùm restrictius hæc de Ecclesia agimus, solos Christianos comprehendente; unde idem est de Antiquitate Ecclesiæ hæc inquirere, ac de tempore & doctrina Apostolorum, num istis concordet.

✠:o: IHS. :o: ✠

## PARS PRIOR

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Vera Christi JESU Ecclesia debet esse Apostolica, hoc est, ab Apostolis inchoasse, & hucusque per mille sexcentos & plures annos durasse. Ita vocatur in Symbolo Nicæno, & sumitur ex illo D. Pauli ad Eph. 2. v. 10. *Superedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JESU.* Ad quam appellationem tria requiruntur, 1. ut eandem teneat doctrinam, quàm olim Apostoli tradiderunt. 2. ut eam continuè, & sine interruptione conservaverit. 3. ut etiam Regimen Ecclesiasticum ab Apostolis inchoatum continuè successione propagarit; siquidem Ecclesia non solum est Schola fidei ad docendum, sed etiam Regnum Christi ad gubernandum; quam quidem successione tantum semper fecere Patres, ut etiam ob solius hujus defectum quovis hæreticos de falsitate convictos existimarint, ut videre est apud Origenem Lib. 1. Periarchon, Jrenæum lib. 3. cap. 2. Tertul. Lib. de præscriptione contra hæreses cap. 19. 20. & 32. August. contra Epist. fundamenti & alios.

II. *Doctrina secunda.* Ecclesia Romano-Catholica est etiam Apostolica & Antiquissima, hoc est, constanter durat ab ipsius Christi & Apostolorum temporibus. Ita omnes Catholici. Probat. Quia 1. Ecclesia Catholica eandem tenet doctrinam, quam olim tradiderunt Apostoli. 2. Eandem continuè hæcenus conservavit, ita ut nullo unquam tempore feret aliqua Fidei mutatio: nec eadem unquam ab aliqua antiquiore Ecclesia Christi se separavit. Et si de hæreticis seu heterodoxis, qui quovis tempore extiterunt, loquamur, non Nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt, ut contra sui temporis hæreticos scribit etiam Cyprian. de unit. Ecclesiæ cap. 9. Et contra nostrates Sectarios luculenter demonstrant DD. à Walenburch Tom. 1. de Unit. Ecclesiæ toto Libro quinto. Idem nos in præfenti Opere præstamus, per singulas Controversias apertè ac solide ostendendo, universam Romanæ Ecclesiæ doctrinam talem esse, ut nullus justus rerum Arbitrator, & qui Deum timeret, æternamque animæ suæ salutem cupit, eam improbare, atque ab eadem separare se valeat. Videatur Jacobus Gualtier, qui in sua Chronographia eruditissime ostendit consensum veterum Doctorum, atque ipsorum Apostolorum cum doctrina nostratæ Ecclesiæ; nec hæretici unquam nominare possunt Articulum, in quo nostra moderna Ecclesia ab antiqua & prima desciverit. 3. Regimen Apostolicum in S. Petro inchoatum per continuationem summorum Pontificum successione conservatum fuit, ut videre est passim in tabulis Chronograph. tum Card. Bellarmini, tum aliorum.

III. Confirmatur doctrina nostra auctoritate Patrum, quorum verba copiosè adducit Jacobus Keller in Papatu Catholico à fol. 342. sufficiat nobis D. August. qui lib. contra Epist. Fundamenti cap. 4. enarrando sua motiva, quibus in Ecclesia detineatur, ita scribit: *Ut omitam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia,*

alia, quæ in ejus gremio iustissime me detineant; tenet consensus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopatum successio. Ubi S. Pater clarè asserit perpetuitatem Romanæ Ecclesiæ tam quoad successionem Episcoporum in sede Petri, & regimine Ecclesiastico, quam quoad doctrinam Apostolicam, & constantem in ea confessionem populorum ac gentium. Nititur autem hæc Perpetuitas promissione Christi Matth. 17. v. 18. quod nimirum adversus Ecclesiam illam, quæ supra Petrum est ædificata, portæ Inferi non sint prævalituræ. Unde pulcherrimè Athanasius in Oratione, quod unus sit Christus, sic scribit: Tu es Petrus, inquit Christus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalent adversus eam; fidelis sermo & non vacillans promissio, Ecclesia invicta res est. Etiam si Infernus ipse commoveatur, & si qui in inferno sunt, mundi principes & tenebrarum tumultum faciant. Et quia Ecclesia Romana in diuturna admodum est possessione Apostolicæ doctrinæ & successionis, per mille scilicet sexcentos & amplius annos in ista durans, idcirco nec tenetur quidem ad aliam probationem, sed in suæ possessionis jure perseverat, donec ejus Adversarij contrarium conspicuo aliquo argumento probent, quod in æternum non facient.

IV. *Doctrina tertia.* Nulla Secta hæreticorum est Apostolica, & eam, quam diximus, habet Antiquitatem. Ratio sumitur ex defectu triplicis conditionis ad hanc denominationem requisitæ. Nam 1. doctrina Sectariorum non est Apostolica v. g. quod Christus secundum Humanitatem sit ubique: quod homo solâ fide justificetur: quod Sacrificium Millæ sit abominatio & idololatria: quod Sancti non sint invocandi, nec illorum Imagines honorandæ: quod non detur Purgatorium: quod Romanus Pontifex sit Antichristus &c. Sed tamhi quàm omnes alij fidei Articuli, in quibus hæretici ab Ecclesia Romana discedunt, directè Apostolorum doctrinæ adversantur, ut constat ex illorum epistolis, & suis locis demonstratur.

V. 2. Nulla illorum Secta continuò duravit à tempore Apostolorum usque ad præsens tempus. Cum enim Lutherus primùm circa Annum Christi 1517. fidem innovaverit, ac in Religionis doctrina toti Ecclesiæ tunc existenti se se opposuerit, uti apud omnes manifestum habetur, sequitur planè ante Lutherum neminem fuisse, cum quo Lutherus in fidei doctrina conspiraret. Eadem est ratio aliorum Novatorum. Unde eum sæpe sæpius à Catholicis postularum fuisset, ut intra proximos mille annos aliquam Ecclesiam sive cœtum, vel unicum hominem nominarent, qui in fidei doctrina omnibusque & singulis articulis idem sentisset, quod ipsimet Sectarij hodie sentiunt, id præstare hætenus nunquam potuerunt, imò nec præstare serió tentaverunt. Videri potest egregium Opus posthumum P. Laurentij Forer, cujus Titulus: *Wunder über Wunder* / hoc est: *Mirum super Mirum.* Ovum ante Galinam: Filius ante Patrem: Lutheranismus ante Lutherum. Et DD. à Walenburch Tom. 2. Tract. 3. cujus titulus: *Ubi Ecclesia Christi fuerit ante Lutherum* à fol. 83. Nobis sufficiat ipsorum Adversariorum Confessio, Lutherus in Præfatione

suorum operum hæc expressa verba habet: *Solus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus; casu enim non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.* Calu ait: id est, inconsideratè, quia enim obtinere non potuit, ut prædicando promulgaret indulgentias, vituperare hæc cepit, & cum aures vituperijs pronas adverteret, plus ausus tandem omnia evertit. Melancthon in præfat. 1. Tom. Lutheri ait: *Post densas admodum tenebras Evangelij lucem Ecclesiæ ministerio Lutheri redditam esse, & Deo gratias agendas, quod hanc Evangelij lucem rursus patefecit.* Calvinus in responsione ad Sandolerum: *Palam est, inquit, conspicuumque eruditus simul ac indoctus, præstratum fuisse Christi Regnum, cum erectus est Pontificij Romani Principatus, sublata fidei justificantis cognitione, & Christi gloria extincta est, & abolita Religio, & Ecclesia destructa, & spes salutis penitus eversa.* Et Lib. 3. cap. 11. §. 15. scribit: *Ac ne Augustini quidem sententia recipienda est, qui gratiam ad justificationem refert, quâ ad vitæ novitatem generamur.* Quis ex his nili prorsus cæcus non clarè perspicit, per istam Novatorum concessionem, Sectas illorù Lutheranam & Calvinianam non à tempore Apostolorum, sed post mille quingentos annos primùm à Luthero & Calvino orbi inventas esse.

VI. 3. Nullam habent successionem Præsulum continuâ serie fidelem populum ritu Ecclesiastico gubernantium; cui enim Præsidi successit Lutherus aut Calvinus? Indubitatum igitur esse debet, apud Lutheranos & Calvinistas nullam esse Apostolicam Successionem, & consequenter nullam Antiquitatem Ecclesiarum, sed novas esse, sumpto initio à Luthero & Calvino, qui cum non fuerint consecrati Episcopi, nullam potestatem habuerunt ordinandi, & de Christianitate disponendi. Unde Nos Romano Catholici cum Tertulliano de præscriptionibus cap. 32. dicere Lutheranis & Calvinistis jure meritissimo possumus: *Edant origines suarum Ecclesiarum, evolvant ordinem suorum Episcoporum ita per successiones ab initio ite-currentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis aut viris Apostolicis (qui tamen cum Apostolis perseveraverit) habuerit Auctorem & Antecessorem, sicut Romana Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert.* Hæc, inquam, ut nos Catholici dicere possumus: ita Novatores ad eadem mutescunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VII. **E**rror primus est Lutheranorum apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. à fol. 873. Antiquitatem ac Successionem non esse genuinam & infallibilem Ecclesiæ veræ Notam. Probant. Tum quia Ecclesia Cainina habuit sine dubio antiquitatem & successionem per 1600. & plures annos, quæ tamen idcirco melior non fuit. Tum quia Pontifices Hierosolymitani ostendere potuerunt continuam omnibus retro annis successionem usque ad Aarōnem summum à Deo creatum Pontificem, qui tamen inde non fuerunt probati in Religione. Tum quia Antiquitas & continua Successio apparet etiam in Imperatoribus Romanis, in Imperatoribus Constantinopolitanis ab

ultimo Constantino Palæologo usque ad Constantinum Magnum; imò in Imperatoribus Turcicis usque ad Othomannum, qui tamen omnes non fuerunt boni Christiani.

VIII. Errorem hunc satis in priori parte rejecimus. Univerſum loquendo. Quicumque generis sui antiquam Nobilitatem demonstrare cupit, is genealogiam stirpis suæ rexat, & per Avorum, Abavorum, Tritavorum, ac Majorum aliorum lineam nunquam interruptam Ascendentium suam originem evoluit, quousque ad eundem stirpem perveniat. Quod testimonium ad rem demonstrandam tam est certum, ut hoc probationis genere nullum inter homines syncerius aut verius æstimari soleat. Cum ergo Christus Ecclesiam suam ab Apostolis ceperit, & nominatim super Petrum ejusque in sede Successores eam ædificaverit, promittens eidem suam omnibus diebus præsentia Math. 28. v. 20. Spiritu veritatis Ioan. 16. v. 18. invictas vires contra inferni portas Matth. 16. v. 18. &c. Si Ecclesia quæcunq; gloriatur, se esse hanc nobilissimam Christi Ecclesiam, incumbit ipsi ex communi hominum sensu, liquidò demonstrare, penes se esse doctrinam Apostolicam, continuationem ejusdem à tempore Apostolorum, gubernationem atq; in sede Petri non interruptam successionem per modernum & alios atq; alios omnes summos Pontifices usque ad ipsum primum in terris Christi Vicarium D. Petrum Apostolorum Principem. Atqui hoc nulla alia Secta demonstrare potest, sed sola id valet Romana Catholica Ecclesia. Ergo sola ista est vera Christi Ecclesia. Unde S. Epiphanius relatâ successione Romanorum Episcoporum sic concludit: *Nemini sanè mirum videatur, cur singula tanta cum diligentia percurrerim; per hac enim perpetuè certa accuratq; veritas ostenditur.* Atq; hæc demonstratio, quam re ipsâ præstat Ecclesia Catholica, non est ex sola Antiquitate, aut nuda Successione in Cathedra Petri, sed ex ea, quam diximus, speciali Christi promissione, vi cujus Ecclesia illa in errorem induci, hæresi inquinari, atque ita à portis Inferni superari non potuit. Ex quibus jam apparet vana & futilia esse Adversariorum fundamenta.

IX. Responderur ad 1. Cainianæ Ecclesiæ Antiquitas, & Turcica successio non est contra nos; quia non quamlibet successionem & antiquitatem intelligimus, sed quam Christus affirmavit, & Patres nobis commendârunt.

X. Ad 2. Judaica etiam Ecclesia frustra adducitur, si nuda continuatio intendatur, quantumvis illa vera perseverarit Ecclesia usque ad mortem Christi, & Judæi ac Pontifices fidem ac pontificatum suum rectè probârunt ex continua successione ab Abrahamo & Aarone summo Pontifice à Deo ordinato; unde etiam sui templi Religionem contra Samaritanos coram Rege defenderunt, & conservarunt, ut scribit Joseph Lib. 12. Antiq. cap. 6. Imò Christus ipse testimonium illis dedit Matt. 23. v. 2. *Super Cathedram Moysis &c.* quod autem aliqui privati Judæi doctrinam Moysis non observârunt, hoc Judaicæ successioni & fidei antiqui Testamenti nihil demit ac præjudicat.

XI. Ad 3. Romanorum quoq; Imperatorum antiquitas & successio alia longè fuit, quam Ecclesiæ nostræ Romanæ, quæ sub illis sæpe crudelissimis & potentissimis hostibus mirabiliter fuit conservata, ut videre est apud Baronium, Bzovium Franc. à Corialano &c. Cum interea ipsum Im-

perium frequenter se mutaverit, & à Romanis ad Græcos, ab istis ad Francos, & demum ad Germanos devenerit. Pari ratione, nullum est Regnum, quod tam diu perstiterit cum populo suo, quam Ecclesia & Papa cum suis Fidelibus ac Catholicis. *Non fecit taliter omni Nationi Psal. 147. v. 8.*

XII. Secundus Error est Lutheranorum, & Calvinistarum apud Amesium Tom. 2. fol. 63. Ecclesiam nostram Romanam non esse Apostolicam. Probant. Tum quia in multis Apostolicæ doctrinæ adversatur. v. g. in Transubstantiatione, Missa, Mutilatione Cœnæ Domini, Purgatorio, Invocatione Sanctorum &c. Tum quia non semper in eadem doctrina perstiterit, sed novas identidem Articulos addidit per Concilia vel Pontifices definitos, & alia multa nova invexit, de quibus Veteres nihil sciebant. Tum quia successio Pontificum est valde incerta; imò primum Petri successorem nesciunt Papistæ, an scilicet iste Linus, an Clemens fuerit: subinde etiam sedes vacavit, aut plures extiterunt Papæ, ut nesciretur, quis illorum esset legitimus. Tum quia ex S. Scriptura constat, successionem in Ecclesia fuisse per apostasiam & regnum Antichristi interruptam.

XIII. Errorem hunc priori parte doctrinâ tertia satis rejecimus. Et quia hæretici Ecclesiam suam hæc coronâ nobilitatis Apostolicæ, hoc est, veræ Antiquitatis ac legitimæ continuatæque successionis in sede Petri destitutam vident, eandem Romanæ etiam Ecclesiæ fraudulenter detrahere nituntur, sed frustra; Etenim tam fixæ à Christi promissione & Patrum assertione fuit ei imposita, ut potius isti perituri, quam præstantissimum hoc decus à Capite Ecclesiæ nostræ sublati sint. *Dominus dissipat Consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat Consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet Psal. 32. v. 10.* Quidni etiam infringat conatus hæreticorum? Argumenta horum nihil convincunt.

XIV. Respondetur ad 1. gravissimam esse calumniam Amelji, Gerhardi, Molinæi, Musæi & aliorum Novatorum, quod doctrina modernæ Ecclesiæ Romanæ adversetur doctrinæ ab Apostolis traditæ. Ostendant hæretici, Ecclesiam nostram vel in unico puncto Fidei ab Apostolico vestigio recedere; quæ enim asserunt de Transubstantiatione, Missæ Sacrificio, Invocatione Sanctorum & triginta alijs punctis, quæ apud DD. à Walenburch Tom. 1. de Unit. Eccles. Lib. 5. c. 12. à Crocio Calvinista adducuntur, suis omnia locis aperte demonstrantur concordare cum doctrina Apostolorum & Antiquorum Patrum, ut contra hæc nihil Adversarij nisi cavillari possint. Nōrunt etiam Protestantæ Theologi, Orientalem Ecclesiam cum Romana in prædictis fidei Articulis convenire; cum enim ipsi ad Constantinopolitanum Patriarcham scriberent, & cum eo tanquam supremo Ecclesiæ Græcæ Capite unionem facere vellent, ob contraria sua dogmata & errores, turpissimam repulsam tulerunt, ut videre est in responsorijs Litteris ipsius Patriarchæ, quas præter alios referit Timotheus Laubenberger in Tract. cui Titul. Quare non vis fieri Catholicus?

XV. Ad 2. Concedimus, successu temporis aliquo modo nova quædam dogmata ab Ecclesia definita esse, sed prioribus non contraria. Dixi aliquo modo nova. Nam in Ecclesia est potestas definiendi aliqua, quorum explicita revelatio non habetur in Scriptura v. g. hunc vel illum esse Sanctum,

etiam, inter Beatos in Caelo: vel si sunt explicite revelata, verbis tamen obfcuris & æquivocis, quorum interpretatio pertinet ad Ecclesiam, quæ potest definire, quis sit legitimus sensus illorum v.g. quod per hæc verba (*accipite spiritum sanctum &c.* Joan. 20. v. 23.) fuerit instituta potestas absolvendi Sacramentaliter: vel deniq; quia talis revelatio non est nobis sufficienter applicata, eò quod consistat in verbo non scripto, sed tradito, ut quod parvuli sint Baptizandi; hæc, inquam, & similia recens definita prioribus fidei Articulis non sunt contraria, cum ex horum declaratione illa eruantur.

XVI. Ad 3. Si certum sit, Clementem D. Petro in Cathedra successisse, parum referre, an alius post Petrum præverit vel non, nec idcirco de successione Romanorum Pontificum dubitandum esse. Atqui ex antiquissimorum Patrum testimonijs certum est, Clementem D. Petro successisse. Quid clarius verbis istis D. Hieronymi in cap. 5. *Isajæ: de quo & Clemens vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexerat Ecclesiam.* Solum in hoc non convenit inter Auctores, quod aliqui putent, Linum & Cletum fuisse Vicarios tam Petri, quam Clementis, qui sæpe Romæ abfuerunt: alij verò sentiant, illos Linum scilicet & Cletum post Petrum fuisse ordinarios Episcopos Romæ, & quidem ante Clementem, eò quod Clemens, cui S. Petrus ante Martyrium Sedem suam commiserat, ex humilitate tanti officij indignum se ratus noluerit illo fungi, dum Linus & Cletus, qui jam antea, vivente adhuc Petro, Ecclesiam tanquam Vicarij administrabant, superstitēs erant. Hæc autem lis de circumstantia successione nihil substantiæ reidemit tam in Clemente, quam alijs summis Pontificibus, nisi etiam Adversarij Nativitatem Christi in dubium trahere aut negare velint; quia non scit certò, quo anno Augusti Rom. Imperatoris illa contigerit. Si aliquando Sedes D. Petri vacavit, non fuit diuturna vacatio, sed unius vel alterius anni; exigua autem mora respectu tot Sæculorum non tollit moralem continuitatem; quis enim non dicit, continuè per diem pluisse, etiamsi paululum cessaverit per unum aut alterum quadrantem, vel etiam horam? Pluralitas Pontificum simul regnare volentium etiam non interrumpit continuationem successionis in Sede D. Petri, quia vel statim fuit agnitum, quis eorum fuerit legitime electus, & cæteri tanquam Schismatici damnati, vel si dignosci non possent, omnibus depositis novus quidam fuit electus, ut interposita incertitudo exigui temporis fuerit instar vacationis.

XVII. Ad 4. Apertum esse Heilbrunneri & aliorum Prædicantium mendacium. Nam si tota Scriptura à capite usque ad calcem perlegatur, nusquam in ea asertum invenitur, totam Christi Ecclesiam, seu omnes simul Ecclesiæ Doctores aliquo tempore circa fidem errare, aut ullis circa fidem erroribus infici posse. Sed hoc solum in diversis locis S. Scripturæ invenitur, tum falsos Prophetas & Doctores exoriturus, qui seducant multos, quod etiamnum hodie in Calvinò & Luthero, alijsq; eorum asseclis videmus, tum sub tempus Antichristi (cujus prodromos Sectarum Coriphæos agnoscimus) insignem quandam à fide apostasiam eventuram esse, non tamen omnium etiam Electorum, ut constat ex ipsis Christi verbis Matth. 24. v. 24.

XVIII. Dicant etiam Sectarij, quo tempore, quo modo, quo indubitato testimonio Apostatarit Ecclesia Romana? An non omni tempore Romani Pontifices Concilia Oecumenica approbaverunt? Hæreticos damnarunt? in reliquos Episcopos jurisdictionem monstrarunt? Non fuit unquam hæresis aut Novitas tam levis, quam non statim Doctores & Patres oppugnarunt, Concilia condemnarunt, historici annotarunt. Quomodo ergo fieri potuit, ut Romana Ecclesia Apostatarer, & nemo hujus Apostasie Auctorem, tempus, modum nominare posset? Unde spissum etiam mendacium est eorundem Prædicantium, quod Historia Ecclesiastica testetur, successionem puræ ac veræ Ecclesiæ in omnibus præcipuis locis, ubi Evangelium fuit prædicatum, interruptam fuisse. Quis enim est ille Historicus hoc scribens? quod illius nomen? Ubi est illa Historia? Nec ullus unquam Auctor hoc scripsit: Nec vos legistis: Sed purum & inane vestrum est figmentum &c. Videatur Jacobus Keller. loc. cit. fol. 374.

XIX. Error Tertius est eorundem hæreticorum, Ecclesiam Lutheranam & Calvinisticam rectè dici Apostolicam. Probant. Tum quia doctrinam Christi & Apostolorum habent, eidemq; firmiter adherent. Tum quia Fides illorum continuè in mundo viguit etiam in medio Papistarum. 1. In infantibus, quibus Fides vera & nullis adhuc Papisticis erroribus inquinata infunditur. 2. In adultis rudioribus, qui Articulum de SS. Trinitate, Orationem Dominicam & Symbolum Apostolicum tenebant; contra quæ secundum Litteram Papistæ nihil moverunt. 3. In quibusdam occultis, qui etsi non vocarentur Lutherani, aut Calviniani, tamen in fundamento ac capitalibus Articulis Evangelicæ doctrinæ adhæserunt. 4. In moribundis, quibus etiam Catholici Sacerdotes inculcare solent, ut non in suis operibus, sed in Christi meritis confidant; unde ajunt, D. Bernardum & Carolum V. Imperatorem in gravibus & ultimis suis morbis Articulum de gratuita justificatione per fidem fuisse amplexos. Videri de hoc potest Joan. Gerhard. Lib. 2. p. 3. Art. 23. cap. 3. ubi Novator iste plura similia contradit. Tum quia successio legitima in Apostolico prædicandi munere Luthero & Calvino non defuit, qui tum à Deo extraordinariè, tum ab homine ad id constituti fuerunt.

XX. Errorem hunc rejicit defectus tum Successionis, tum Vocationis, tum Doctrinæ Apostolicæ. Nam quis successor Apostolorum Lutherum aut Calvinum in Episcopum ordinavit? Quis etiam Patrum per mille quingentos & plures annos doctrinam Lutheri aut Calvini tenuit? An non Reformatores isti fatentur, se discessisse ab Ecclesia Romano-Catholica, ut vidimus §. 5. In parte autem divisa nequit esse perpetua successio; cum enim constet de initio divisionis, constat quoque de initio successionis, non à Christo institutæ, sed ab homine inchoatæ, adeoque nec perpetuæ. Lūbet igitur ex vobis Prædicantibus quærere. Si hodie thrafo aliquis surgeret, diceretque, omnes Christianos Doctores errare in mysterio SS. Trinitatis, nescireq; Scripturam Sacram; istam alio longè & hucusque abscondito modo intelligendam esse; an non diceretis huic, ut illud probaret, & asserenti, Apostolos eodem prorsus modo, ac ipsum, intellexisse, semperque fuisse occultos quosdam Christianos, non autem se se prodidisse; an non subito

subitò exploderetis eundem, aut etiam baculo abigeretis? Ita statim ab initio cum Luthero & Calvino agi debuisset pro merito doctrinæ ipsorum novæ, quam post tot sæcula attulerunt, ut ex refutatione hujus erroris patebit.

XXI. Respondetur ad 1. Hunc esse thraſonifmum omnibus hæreticis consuetum; omnes quippe jactant, suam doctrinam esse ipsissimam doctrinam Christi; & Apostolorum; qui tamen ex eo aperti mendacij convincuntur, quod post Apostolorum tempora nec unicum ostendere possint Christianum Doctorem, qui cum ipsis idem quoad omnia in fide fenserit, nec monstrare ullam Ecclesiam, in qua talis doctrina continuò duraverit, imò nec ullum fidelem hominem, qui illam doctrinam disertè fuerit professus.

XXII. Ad 2. Quomodo Fides Sectariorum semper in orbe inter ipsos etiam Catholicos viguit, cum disertis verbis Lutherus illam à se recens mundo fuisse illatam affirmet? Sic scribit in Epist. ad Ministros verbi Dei apud Argentinam: *Christum à nobis primò vulgatum, audemus gloriari; sed nec apparet, in quibus viguerit continuè Lutheranorum & Calvinistarum fides.*

XXIII. Non 1. In infantibus; est planè ridiculum in re tanti momenti pro testibus adducere infantes, qui nesciunt, quid credant, utpote rationis nondum compotes. Egregiè hoc argumentum contra Petrum Haberkorns, Andream Kesler, Melchiorum Nicolay rejicit P. Laurentius Forer in citato opere suo posthumo, quod Lutheranismus fuerit ante Lutherum &c.

XXIV. Non 2. In Adultis rudioribus. Iſtis enim hoc ipso, quod rudes sint, non plus credatur, quam doctis & ipsorum præpositis. Papistæ nihil quidem contra mysterium SS. Trinitatis, Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolicum moverunt, aliter tamen semper intellexerunt, ac explicarunt, quam modò faciunt Sectaristæ.

XXV. Non 3. In occultis quibusdam Evangelicis. Nam si isti nulli fuerunt cogniti, & ita timidi, ut veritatem palam dicere non auderent, unde aliquid de ipsis norunt Prædicantes? Nemo ante Lutheri tempora fuit, qui non adoraret consecratam Hostiam, honoraret B. Virginem, & hanc aliòſque Sanctos invocaret; hæc autem est Idololatria apud Sectarios; quomodo ergo in fundamento & capitalibus Articulis Lutheranis & Calvinistis consenserunt? Nemo quoque ante Lutheri & Calvinii tempora fuit, qui non operibus bonis & in gratia Dei factis meritum adscriberet, atque inde præmium à Deo speraret: Item qui non crederet, opera penitentia itidem in gratia Dei exercita placare Deum, & pro temporali pæna satisfacere; hæc autem ajunt Novatores, Christum omninò repelli, deferri, negari; quomodo ergo in fundamento & capitalibus articulis Lutheranis & Calvinianis consenserunt? &c. At Spiritus Sanctus forsàn illos suâ inspiratione Evangelicam solum doctrinam docuit? Cur non etiam fecit, ut Apostoli & Evangelistæ cognitam hanc veritatem alijs annuntiarent.

XXVI. Non 4. In moribundis. Nam, dum istis merita Christi proponuntur, non excluduntur bona opera, quasi nihil ad salutem valeant; illorum tamen non expedit fieri mentionem. Tum propter periculum vanæ gloriæ. Tum pro-

pter incertitudinem, num rite facta placuerint Deo, aut per subsequens peccatum non fuerint extincta. Unde Job. cap. 9. v. 28. ait: *verebar omnia opera mea. sciens quod non parceres delinquenti.*

XXVII. Atque in hunc modum intelligendi sunt S. Bernardus, & Carolus V. Imperator, quorum uterque honorum operum ac meritum causâ in locos sacros secessere; ille in adolescentia; iste in vegeta adhuc ætate post Romani sceptri Imperij & tot Regnorum coronas positas. Quod enim in ultimis & gravibus morbis Christi Passionibus ac Meritis se solarentur, minimè fecerunt illud, quasi solâ fide salutem æternam obtineri posse arbitrentur, uti stolidè sibi imaginantur Prædicantes Lutherani ac Calviniani, sed quòd timerent occulta DEI & ab oculis hominum abscondita judicia: quod summâ animi demissione ad operibus suis bonis diffiderent, non planè certi, an Divinæ Majestatis oculis placerent, siquidem nescit homo, utrum amore an odio dignus sit Eccles. 9. v. 1. quod denique probè scirent, hæc ipsa opera bona non tam sua, quam Christum Jesu esse, utpote hujus, maxime misericordiam motu, auxilio, ac ductu facta, sine quo divino adjumento ipsi libero suo arbitrio & naturæ viribus eadem facere non potuissent. Ex hæc causis non solum D. Bernardus & Carolus V. Imperator, sed omnes nos Romano-Catholicæ veritatis Ecclesiæ Filij, quantumvis pro viribus & concessis cælitus auxilijs bonis operibus studeamus, & ista ad salutem æternam necessaria esse, fide teneamus. Christe Jesu tamen pedibus humillimè advolimur: spem nostram omnem in eo ponimus: ejus SS. passionibus & meritis tum in vita tum in morte nos commendamus; ejus denique Bonitate & Misericordiâ nos in ultimo præsertim agone consolamur. Et quid ex his ad solam, inanem, putam, putidam, ac mortuam fidem, quâ salvari homines nequeunt: seduci per illam ac perdi æternam à Prædicantibus possunt.

XXVIII. Ad 3. Lutherum & Calvinum nec immediatè à Deo vocatos ad reformationem Ecclesiæ; siquidem hanc suam vocationem, non probârunt, neque possunt miraculis probare, sicut tamen fecerunt Moyses & alij. Unde Tertullianus Lib. de Præscript. c. 30. aiens: *Probat nos se Apostolos esse editis scilicet miraculis*: nec mediatè per Civilem vel Ecclesiasticum Magistratum; quia Princeps & Magistratus civilis nihil juris habent in officia Ecclesiastica, quæ pertinent ad Regnum Christi: Episcopi verò ordinando Sacerdotes non tribuunt eis facultatem prædicandi, sed aliâ speciali concessione opus est. Et quando etiam sive Doctores sive Sacerdotes facultas prædicandi Evangelij conceditur, intelligitur ea potestas non alio modo faciendi, quam juxta interpretationem & sensum, quem de S. Scriptura tenet Sancta Mater Ecclesia. Sed de hoc plura infra.

✠:o: IHS. :o: ✠  
✠:o: ✠

## CONTROVERSIA XX.

DE VISIBILITATE EC-  
CLESIAE.

**V**isibilitas alia est sensibilis, alia intelligibili-  
lis; illam habent corpora colorata & mo-  
bilia, quæ in oculos incurrunt, ut stellæ  
& elementa: istam habent objecta insen-  
sibilia intellectui propria, ut veritas, honestas &c.  
utraque; Ecclesiæ est necessaria, ut ab alijs Sectis in-  
ternosci, & diversa fides cognosci ab intellectu  
possit. Duplex autem iudicium intellectus de ead-  
dem Ecclesiâ formari potest; unum quod diver-  
sam ab alijs habeat fidem: alterum quod habeat  
fidem veram. Tractat de hac Visibilitate Card.  
Bellarm. Lib. 3. de Ecclesiâ cap. 11. ante Notas ejus-  
dem Ecclesiæ, quasi per illam maximè diversi-  
tas Fidei: ex his autem veritas ejusdem inno-  
tesceret.

Statu ergo quæstionis est. Utrum Ecclesiâ  
Christi vera aliquando & per aliquot etiam sæ-  
cula ita possit esse occulta, ut sint tantum pauci  
homines, qui veram fidem profiteantur: atque  
hi ipsi existant alijs incogniti? Negant hoc Ca-  
tholici affirmantes, semper fuisse, esse, & fore in  
quatuor mundi Partibus hominum cætus, qui  
Fidem veram taliter profiteantur, & Sacramentor-  
rum inter se communionem habeant, ac sub legiti-  
mo Pastore vivant, ut noti sint non solum sibi  
quisque privatim, vel etiam pauci inter se, sed  
etiam pluribus extra Ecclesiâ existentibus, quan-  
tumvis publicis Verbi Dei & Sacramentorum us-  
us non permittatur. hoc posito.

## PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLI-  
CORUM.

**I.** Doctrina prima. Ecclesiâ Christi vera est,  
semperque fuit, & erit visibilis. Ita Catholici  
Doctores. Probat 1. Ex Sac. Scriptura, quæ  
Ecclesiâ veram comparat rebus illustrissimis, &  
maximè conspicuis, scilicet stellis & montibus.  
Isaïæ 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus preparatus mons  
Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super  
colles, & stent ad eam omnes Gentes, & ibunt populi  
multi, & dicent: venite & ascendamus ad montem Do-  
mini.* Hæc eadem propè verba habentur Micheæ  
4. v. 1. *Concinit David Psal. 47. v. 1. & 2. Magnus  
Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei nostri, in  
Monte Sancto ejus, fundatur exultatione universa terra  
Mons Sion, latera Aquilonis Civitas Regis magni,* per  
Montem autem intelligi Ecclesiâ Christi visibili-  
lem ac veram, apertè constat ex ipso contextu.  
Psal. 88. v. 30. *Comparatur Throno sempiterno, &  
v. 38. ipsi Soli, qui semper est visibilis, ac Lunæ sem-  
per plenæ, quo etiam juxta Patrum explicationem  
spectat illud Psal. 18. v. 6. in Sole posuit Tabernaculum  
suum, in quæ verba sic scribit Augustin. in Concio-  
ne 2. in Psalm. cit. in manifestatione (posuit) Eccle-  
siam suam non in occulto, non quæ lateat, non velut oper-  
ta. Et paulò post: in Sole posuit Tabernaculum suum;*

*quid tu hereticè fugis ad tenebras. Accedit clarissimum  
Christi Testimonium Matth. 5. v. 14. vos estis lux  
mundi, non potest Civitas abscondi supra montem posita,  
neque, accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed  
supra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.*

II. Non obstat 1. Eriam stellæ & montes, atque  
ipsas civitates montanas subinde nebulis & nu-  
bibus occultari. Nam nihilominus ex se sunt vi-  
sibilia, tamen per extrinsecum obstaculum illo-  
rum visio interdum impediatur. Adversarij au-  
tem volunt, Ecclesiâ per se esse invisibilem, nul-  
lisque externis indicijs manifestatam, ut audiemus;  
imò Ecclesiæ Visibilitas nec per externa obsta-  
cula impedi potest; quæ enim forent obstacula,  
nisi persecutiones Gentilium & Hæreticorum, per  
quas tamen non solum non obscuratur Ecclesiâ,  
sed etiam magis illustratur; tunc quippe gene-  
rosi Martyres & voce & sanguinis professione Fi-  
dem testantur: tunc plurimi libri contra hære-  
ticos eduntur, publicæ Disputationes instituun-  
tur, Concilia celebrantur &c.

III. Non obstat 2. Nonnullos ex Patribus  
velle, Christum Matth. 5. non totam Ecclesiâ,  
sed solum ejus Præsules comparare civitati mon-  
tanæ, non ratione Fidei, sed morum, qui omnium  
oculis observantur, & latere non possunt. Nam  
hoc ipso, quod præpositi sint conspicui, etiam sub-  
ditorum grex fit conspicuus, cum sint correlativa  
Prælati & Subditi, & unum sine altero cogno-  
sci nequeat. Unde Christus non de parte solum,  
sed de tota Ecclesiâ loquitur.

IV. Probat 2. ex Patribus, quos fusè addu-  
cunt alij. Nobis sufficiant unus & alter. Origines  
Homil. 30. in Matth. sic scribit: *Ecclesiâ Domini ple-  
na est fulgore ab Oriente usque, ad Occidentem.* D. Chryso-  
stom. Hom. 4. in cap. 6. Isaïæ: *facilius est, inquit, Solem  
extingui, quam Ecclesiâ obscurari.* D. August. Epist.  
170. Ad severinum hæc habet: *facile est tibi atten-  
dere & videre Civitatem super montem constitutam, de qua  
Dominus dicit in Evangelio, quod abscondi non potest; ipsa  
est enim Ecclesiâ Catholica, unde catolicoz græce appellatur,  
quod per totum orbem terrarum diffundatur.* Cyprianus  
Lib. de unitate Ecclesiæ dicit: *Ecclesiâ Domini  
luce perfusa radios suos per orbem terrarum spargit.*  
Cyrillus Lib. 2. in Isaïam cap. 17. hæc habet: *signi-  
ficat (Isaïas cit. cap. 2. v. 2.) Ecclesiâ magnam & sub-  
jectum intelligentia montem; nihil enim in ea humile:  
non protrita aut projecta dogmata, sed quidvis est ma-  
gnum & excelsum, vera scilicet Dei cognitio, & illustris  
Salvatoris nostri mysteriorum patefactio, Sion autem  
montem nominat sapienter divinitus inspirata Scri-  
ptura Ecclesiâ Christi, velut à prima nomen habens;  
spiritualiter verior Sion, id est, Excelsa & Specula. Simi-  
lia habent alij PP. Ex quibus clarissimè patet, te-  
stimonia S. Scripturæ in eundem nobiscum sen-  
sum à Patribus intelligi & exprimi: nec verba  
illa ex Matth. 5. solum præceptum, ut scilicet fides  
intrepidè ac publicè prædicetur: sed etiam præ-  
dicationem continere; quia non dixit Christus, ci-  
vitatem montanam abscondi non debere, sed nec  
posse; quod autem fieri non potest, nunquam fu-  
turum est; unde Chrysostomus loco cit. ait: *Ec-  
clesiâ radices in Cælo potius habere, quam in terra. Quis  
autem radices virentis ac conspicuæ Ecclesiæ in  
Cælo fixas inficiet aut eveller? Videri possunt DD.  
à Walenburgh Tom. 2. à fol. 72. ubi prædicta aliaque  
Patrum & Scripturæ testimonia contra varias Se-  
ctariorum obiectiunculas defendunt. Sed pluri-  
bus hic opus non est.**

R

V. Proba-

V. Probat 3. Ratione. Tum quia, ut supra de Unitate Ecclesiae diximus, nemo salvari potest extra veram Christi Ecclesiam, perinde ac temporalem vitam servare nemo potuit, qui extra Arcam Noë exiit. Ergo ingredi veram Christi Ecclesiam debet, quisquis æternum salvas esse flagitat. Ergo oportet eandem Ecclesiam omnibus esse conspicuam, ut videant, quod ire debeant. Tum quia Ecclesia est Congregatio rectè credentium; credere autem non possunt, nisi audiant: audire nequeunt sine prædicante, ut discurret D. Paulus ad Rom. 10. v. 15. Ergo semper necessaria est externa prædicatio, tanquam visibile signum Ecclesiae. Hoc argumento confirmatur prius, cum adulti, de quibus agitur, ordinariè non possint veram fidem discere, nisi ab Ecclesia prius agnoscenda: nec sufficit prælectio solius Evangelij nimis obscuri, nisi ab aliquo declaretur; fugere verò ad internam & extraordinariam Dei revelationem, est inane figmentum. Tum quia fideles in omnibus dubijs confugere debent ad iudicium Ecclesiae, juxta verba Christi Matth. 18. v. 17. *quod si eos non audierit, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus &c.* Poteritne autem aliquis Ecclesiae, quæ invisibilis est, indicare? minimè sanè. Ergo hæc Ecclesia visibiles habere debet Prælatos, ad quos confugiant subditi in suis dubijs, & alijs negotijs, quales Prælatos in vera Christi Ecclesia semper esse; ac fore in opus ministerij & adificationem Christi, testatur Apóst. ad Ephes. 4. & sequentibus. Tum quia non sufficit corde credere, sed oportet aliquem exterius etiam suam fidem manifestare, & visibilem reddere; corde quippe creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem ad Rom. 10. v. 10. Et hæc externa professio non solum fit tempore persecutionum; sed vel maxime tempore pacis tum in observatione cultus divini, quæ admodum frequens & varia est, tum in perceptione Sacramentorum, quæ etiam non raro urget. Quomodo ergo Ecclesia non evadit inde visibilis?

VI. Probat 4. Ab Experientia. Nam si veterum historiarum monumenta revolventur, apparebit clarissime, semper in Ecclesia Catholica viguisse publicam prædicationem & professionem Fidei, publicum exercitium cultus divini, publicam Sacramentorum perceptionem, publicum regimen Episcoporum sub Papa omnium supremo Pastore. Et quantumvis iste publicus Sacramentorum & Verbi Dei usus non permetteretur, ut accidit trecentis annis in primitiva Ecclesia, quando per totum orbem erant Christiani profitentes fidem, & inter se Sacramentorum Communionem habentes, nec palam & impune, sed hinc inde absconditè conveniebant; nihilominus ita notum & manifestum erat Catholicorum commercium, ut etiam Infideles scire, & qui velent, à Christianis veræ fidei informationem habere possent; prout etiam sæpissime non solum aliqui, sed plures Martyres fidem suam publice scriptis confessi sunt, ut præclarissima tam antiquæ Ecclesiae in communi, quam multorum particulatim memoria usque hodie perseveret; atque hanc Ecclesiae visibilitatem usque ad Mundi finem perseveraturam esse, prædixit Deus absolute (non solum conditionatè facientibus verè poenitentiam) hisce verbis Isaiæ 59. v. 21. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea; quæ posui in ore tuo, non recedent à te, & de ore seminis tui in sempiternum.*

Et cap. 62. v. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitut custodes toto die ac nocte in perpetuum non tacebunt, quam prophetiam ad perpetuam constantemque Ecclesiae conspicuitatem explicat, confirmatque Apóstolus ad Ephes. 4. cit. ubi more hebraico dedit in præterito usurpavit pro futuro; etenim versabatur in explicatione Psal. 67. *ascendens in altum dedit dona hominibus;* ubi David planè præteritum per futuro accepit, quia prophetiè de Christo venturo locutus est.*

VII. *Doctrina Secunda.* Nulla Secta hæreticorum in prædictum modum fuit semper visibilis. Ita omnes Catholici. Nam nullius unquam Religionis homines sic publicè fideri fuerint confessi, Sacramentorum inter se communionem habuerunt, & sub uno capite tanquam summo Pastore uniti vixerunt, ut ab alijs extra illum Cœtum cognoscisci possent, etiam si publicus fuerint confessi, Sacramentorum usus esset prohibitus. Aut ostendant moderni Sectarj Lutherani Calviniani &c. in Ecclesia per mille quingentos & plures annos semper fuisse eam, quam ipsi modò tenent, Evangelicæ tum dogmatum professionem, Sacramentorum Communionem, plurium sub uno Pastore unionem. Si iterum ad simplices & infantes recurrant, pueriliter ineptiunt; quasi verò Ecclesia sine Pastoribus & Doctoribus contra D. Paul. ad Ephes. 4. cit. consistere possit. Taceo quod supra jam diximus, Infantes & simplices nulli erroti formaliter adhærentes, si rite Baptizati sint; semper ad nostram Romano-Catholicam, hoc est, veram Christi Ecclesiam pertinere. Quod si hoc tempore visibilitatem Ecclesiae suæ ostenderent, nihili tamen hæc esset faciènda; quia cæteris notis veræ Ecclesiae destituuntur quibus illa niti debet.

## PARS POSTERIOR.

### ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. *Error Primus.* Ecclesia Christi fieri potest, & verò sæpe facta est invisibilis. Ita in terminis Gerhardi. Lutherani Lib. 2. p. i. fol. 827. postquam prius dixerat, Ecclesiam visibilem & invisibilem non esse oppositas contrariè, sed subordinatas; & illam dici respectu externorum mediorum, Instrumentorum, & Religionis exercitiorum: hanc verò respectu fidei, & internorum donorum. In eundem modum loquitur Amicus Calvinista Tomo 2. fol. 50. Uterque conformiter suo hærsiarchæ. Nam Calvinus in Præfat. Instit. sic ait: *permittamus hoc Domino, ut, quando ipse solus novit, qui sui sunt, interdum etiam Ecclesia sua externorum notitiam ab hominum aspectu auferat;* Lutherus verò Lib. de abroganda Missa privata hæc habet: *quis nobis Ecclesiam monstrabit, cum sit occulta in Spiritu, & tantum credatur: sicuti dicitur; credo sanctam Ecclesiam &c.* Hos duces sequuntur cæteri Lutherani & Calviniani apud DD. à Walenburch. Tom. 1. fol. 64.

IX. Probat hoc 1. ex Veteri Testamento, ubi Ecclesia seu Synagoga Iudæorum subinde lauit omni publico cultu, seu professione, aut fidei prædicatione destituta. Ergo idem evenire potest Ecclesiae novi Testamenti, siquidem una eademque

demque utriusque Testamenti est Ecclesia. Pro Antecedente adducunt varia loca Script. Exod. 32. Moysē diutius in monte Synai morante, totus Populus Israeliticus ad Idololatriam defecit & vitulum adoravit. 3. Regum. 19. v. 10. atque adeo occultata fuit Ecclesia, ut Elias neminem præter se agnovit fidelem, ideoque dixerit: *relictus sum ego solus.* Isajæ cap. 1. v. 3. *conqueritur Deus: Israel me non cognovit, & populus meus non intellexit v. 6. à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Iremiæ. 2. v. 26. *confisi sunt Domus Israel ipsi & Reges eorum, Principes & Sacerdotes, & Propheta eorum dicentes ligno, Pater meus es tu.* 2. Mach. 6. vers. 6. *neque Sabatha custodiebantur, neque dies solennes Patrij servabantur, neque iudicum se esse quisquam confitebatur.* Id quod prædictum fuit. 2. Paralip. 15. v. 3. *transibunt dies multi in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque lege.* Tempore Christi tota Synagoga expiravit.

X. Probant 2. ex Novo Testam. & quibusdam dictis Christi. Matth. 13. v. 44. comparat Christus Ecclesiam Thesaurum abscondito, & consequenter invisibili: Lucæ 17. v. 21. ait: *Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic; ecce enim Regnum Dei inter vos est.* Ergo latet in animo, & oculis non patet. Apoc. cap. 9. v. 2. dicitur *sol obscurandus fumo putei, id est, erroribus ex inferno emergentibus.* Et cap. 12. v. 6. Ecclesia comparatur mulieri in deserto se occultanti: *& fugit mulier in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.*

XI. Probant 3. ex Patribus, qui frequenter Ecclesiam comparant Lunæ. At Luna aliquando deficit. D. Hilarius Lib. contra Auxentium in fine hæc habet: *male vos parietum error cepit, male Ecclesiam Dei in rectis adificijsq; veneramini, male sub huius pacis nomen ingeritis montes, nubi & lacus & carceres & voragines sunt tutiores; Ergo Ecclesia tunc occulta fuerit, necesse est.*

XII. Probant 4. Ratione. Tum quia in Symbolo Apostolico dicitur *credo Sanctam Ecclesiam.* Ergo non est visibilis Ecclesia; siquidem id, quod videtur, non creditur. Tum quia militia Christianorum est Spiritualis, à qua Ecclesia dicitur Militans. Ergo hæc est invisibilis.

XIII. Errorem hunc jam olim induxerunt Donatistæ, qui asseruerunt, veram Christi Ecclesiam per totum orbem perijisse, & in sola Africa remansisse, ita occultam, ut agnosci non potuerit pluribus annis usque ad tempus Donati. Ita refert D. August. Lib. de hæresibus hæres. 69. Et Libro de unitate Ecclesiæ cap. 16. ubi refert argumenta Donatistarum & soluit. Hos secuti sunt Novatores Lutherus in Pl. 22. sic Scribens: *in pulverem moris deducta est Ecclesia, ut nusquam ejus species aut vestigium appareat.* Et in Lib. de Captivitate Babylon. fol. 72. ita dicens: *non te moveat, quod totus terrarum orbis contrarium & senserit, & usum habeat.* Item Calvin. Lib. 4. Instit. cap. 12. §. 1. ubi hæc habet: *simul ac in arcem Religionis mendacium irrupit, summa necessaria doctrinæ inversa est, sacramentorum usus corrumpit, certus Ecclesiæ interitus consequitur, perinde atque de vita hominum actum est jugulo transfixo, vel precordijs lethaliter sauciatis, &c.* Idem ergo jure de istis Sectarijs dico, quod D. August. de Donatistis: *Ecclesia non operata est, quia non est sub modio, sed super candelastrum, ut luceat omnibus: non potest Civitas abscondi super montem constituta.* Sed Lutheranis

Calvinianis cæterisque hæreticis modernis velut operata, clausa & abscondita est. Pergit S. Pater: *malunt clausis oculis in montem offendere, quam in eum ascendere, qui, cum esset lapis precifus de monte sine manibus, crevit, & factus est Mons ingens, & implevit universam terram.*

XIV. Idem error manifestissime adversatur Confessioni Augustanæ Art. VII. Ubi hæc habet: *Docetur etiam, quod semper Sancta Christiana Ecclesia debeat esse & manere; quæ est congregatio omnium Fidelium (Sanctorum, in exemplari Carolo V. Imperatori tradito) apud quos Evangelium purè prædicatur, & Sacramenta juxta Evangelium ministrantur.* Ex quo sic concludo. Ergo Ecclesia Christi, cum prædicetur in ea Evangelium purè, & juxta istud Sacramenta ministrantur, semper fuit & manet, & consequenter nunquam potuit fieri, aut facta fuit invisibilis. Rursum ex iisdem verbis Confessionis Augustanæ sic arguuntur. Si Ecclesia Fidelium semper manet, & habet puram Evangelij prædicationem rectamque Sacramentorum administrationem. Ergo per 1000. annos ante Lutherum & Calvinum habuit eadem Ecclesia duas illas Notas, vel non? Si non habuit. Ergo falsum est, eam fuisse veram Ecclesiam: Si habuit. Ergo ostendatur aliud, quam Pontificium Verbi & Sacramentorum Ministerium; quod, cum fieri nequeat, Ministerium illud Pontificium purum ac legitimum fuerit, necesse est. Hoc argumentum sæpius Prædicantibus objectum, salvâ Confessione Augustanâ, nunquam solutum est, nec solvi unquam poterit; unde Musæus aliique sciente scientio illud transire noverunt.

XV. Respond. ad 1. probationem ab Exemplo Synagogæ ductam. Inprimis negando consequentiam. Nam licet Mosaica & Christiana Ecclesia essentialiter conveniant, tamen Christiana pluribus gaudet privilegijs. 1. Quia habet promissionem de sua stabilitate & firmitate, quam Synagoga non habuit; ubi enim huic fuit dictum: *& porta inferi non prevalebunt adversus eam.* 2. Quia est Libera: Synagoga autem fuit ancilla; & illa designatur per Sacram uxorem Abrahamæ: hæc per Agarem, quæ fuit ancilla repudiata & dimissa: non item Sara ad Gal. 4. v. 4. Ergo similiter Synagoga debuit repudiari: non item Ecclesia nostra 3. Quia est Catholica & Universalis, extra quam nulli salus; si igitur hæc tota perierit, nullus prorsus ad cælum veniret: At Synagoga non ita erat universalis, cum extra illam salus esset apud Ninivitas, & alios. Tametsi ergo Synagoga non permansisset, adhuc tamen homines salvari potuissent. Deinde negatur Antecedens.

XVI. Ad 1. Instantiam vituli adorati, negamus totam Synagogam defecisse, sed partem ejus, non enim defecit Moyses, nec Levitæ, & Sacerdotes, plerique saltem, ut patet ex cap. 32. v. 26. *Si quis est Domini, jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes filij Levi; erant autem filij Levi viginti duo millia.*

XVII. Ad 2. de tempore Eliæ dicimus, Prophetam loqui solum de regno Israel, & decem Tribubus sub impio Rege Achab; interim Tribus Juda & Benjamin cum toto Pontificatu adhuc verum Dei cultum & religionem servabant, cum Zelosus Rex Aza regnaret, quem secutus fuit Pius Rex Josaphat, imò nec in regno Israel solus Elias Deo fidelis permanfit, sed reliqui mihi, ait

Deus c. 19. cit. v. 18. *In Israël septem millia virorum; quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Isti fuerunt pars Ecclesiæ Israeliticæ, & habuerunt legitimum suum Sacerdotium, & publicum exercitium in Jerusalem in regno Judæ.

XVIII. Ad 3. de temporibus Isaïæ & Jeremiæ docent communiter Interpretes Sac. Scripturæ, ibi signum universale omnes non sumendum rigidè pro omnibus simpliciter, sed hyperbolicè pro plurimis consueto more scripturæ. Nam Isaïæ <sup>verborum</sup> fuerunt Prophetæ Oseas, Joel, Abdias, Joas. Cum Jeremiæ vixerunt Reccabitæ, de quibus Jeremiæ 25. Item Josias Rex adeo laudatus. 4. Reg. 23. v. 25. Helzias Pontifex, & Holda Prophetissa. Ribera in Proleg. in duodecim Prophetas ad hoc tempus etiam refert Prophetas Baruch, Sophoniam, & Ezechielem. Et quamvis aliqui Reges in regno Judæ fuerint Idololatræ, alij verò non quidem Idololatræ, sed tamen mali & scelerati, semper tamen in Templo Salomonis mansit Usus Sacrificiorum secundum legem Moyosaicam usque ad captivitatem Babilonicam, ut ex Lib. 2. Machab. cap. 2. v. 19. colligi potest.

XIX. Ad 4. etiam Machab. dicimus, negationem publicæ professionis fidei non intelligendam de tota Judæa, sed tantum de urbe Jerosolimitana; sicuti etiam illa comminatio Paralyp. non de tota Synagoga, sed tantum de decem Tribubus Samariæ loquitur. Similem locum Danielis 9. v. 27. *deficiet hostia & sacrificium &c.* communiter intelligunt Interpretes non de defectu Ecclesiæ Christianæ, sed de defectu Synagogæ Judæorum circa omne Sacrificium Legale Moyaicum. Videri possunt Cornel. à Lapide, Tirinus, & alij.

XX. Ad 5. De Synagoga tempore Christi expirante. Verum est, quod Synagoga tempore Christi defecerit, non quoad Fide veram, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata fuit cum suis ceremonijs, & Sacrificijs, & in ejus locum successit Ecclesia Christi. At ex repudiata Synagoga non sequitur, repudiandam etiam esse Ecclesiam Christi, ut supra jam diximus. In triduo mortis Christi latentibus Apostolis non delituit tota Ecclesia, sed nonnulli suam fidem publicè professi sunt, ut Nicodemus, Josephus ab Arimathia, Christum sepelientes, & mulieres Sepulchrum visitantes.

XXI. Cæterum Lex Evangelica ante Pentecostem non cepit obligare, ut ex communi Theologorum tradit Suarez. Lib. 10. de Legibus cap. 4. n. 13. quia Christus post Resurrectionem suam videtur primum Ecclesiam formasse, dando illi Caput Visibile, & instruendo de reliquis, quæ ad Ecclesiasticam Hierarchiam spectant. Credibile autem non est, Christum voluisse prius obligare ad suas leges, quam constituerit Rempublicam, quæ erat eas acceptura, illique obliganda. Quare Synagoga secundum essentialia nunquam perijt, sed post mortem Christi apud Christianos, & quidem multò distinctius & explicatius permanfit. Ut infra iterum dicemus.

XXII. Respondetur ad 2. probationem ex Novo Testamento, & ex quibusdam dictis Christi desumptam. Matth. 13. Ecclesiam comparari Thesauro abscondito, non quoad esse, quasi neciretur, ubi esset; alias nunquam fuisset visibi-

lis, sed quoad valorem rerum Spiritualium, quas parvi quidem homines aestimant, at merito omnium rerum temporalium jacturâ sunt comparandæ. Luc 17. loqui Christum de duplici adventu suo, nempe per gratiam & gloriam; de priori dicit, non venire se cum observatione: at bene de posteriore; subdit enim versu 24. *Sicut fulgur de sub caelo &c.* Quamvis igitur fides, gratia, & cætera bona spiritualia & cælestia, per quæ Christus inter nos regnatus venerat, invisibilia sint, ac in anima lateant, non tamen latent corpus & functiones, quæ exterius per corpus exercentur, puta Professio externa fidei sub Christo, ejusque in terris Vicario, ac Sacramentorum communicatio, quibus Ecclesia facile toti orbi innotescit. Apocal. 9. fumum illum Acharonicæ perfidiæ obscuraturum quidem multos, sed non omnes fideles: nec cap. 12. Mulieris nomine indicari omnes fideles, sed quosdam præfules, qui metu persecutionis in latebras refugient. Nam priore versu eadem mulier dicitur peperisse masculum, id est, fortem generosum heroicum, nempe selectam multitudinem Fidelium, & cœtanti Sanctorum, qui ducibus Enoch. & Eliâ invicto animo resistent draconum mille potius mortes obituri, quam ejus impietati obsecundaturi.

XXIII. Respon. 3. Ad probationem ex Patribus petitam. Verum est, quod Ecclesia Lunæ sit similis, nequaquam verò in eo, quod sicuti Luna sæpe deficit, sic etiam Ecclesia frequenter deficiat. *Videatur quidem Ecclesia,* inquit S. Ambr. lib. 4. Exameron. *sicut Luna defecere, sed non deficit; obumbrari potest, defecere non potest.* In quo ergo est similitudo 1. quod, sicuti Luna ex minuta apparet evadere plena, ita Ecclesia ex parvo initio in magnam plenitudinem ac perfectionem creverit. 2. quod, sicut Luna lumen suum à sole habet, ita Ecclesia lumen suum fidei, Sanctitatis, ac doctrinæ à sole Christo accipiat. 3. quod, sicut Luna mutationi subest, ita Ecclesia pacis & perfectionis tempora experiat, ut asserit Ambros. loco. cit.

XXIV. D. Hilarius loquitur ibi de particulari Ecclesiæ Mediolanensis statu, quem Auxentius Arianus Episcopus favore Imperatoris invaserat. Licet itaque ibi talis esset difficultas ab Hilario indicata, tamen in alijs orbis partibus Catholica fides vigeat, nec à statu particularis Ecclesiæ argumentari possumus ad Ecclesiam universalem; imò si Hilarius etiam de universali Ecclesia fuisset locutus, non tamen urgeret consequentia; quantumvis enim Fideles tunc passi fuissent persecutiones, ut publicè convenire ipsis in templis non liceret, poterant tamen in locis alijs convenire, & esse noti, sicuti primis trecentis annis post natum Christum sub Imperatoribus ethnicis; quo tamen tempore Ecclesia notoria erat. Videatur D. Augusti. Epist. 84. ad Vincentium, ubi ad hanc ipsam objectionem ad Hilarium respondet.

XXV. Respon. 4. Ad probationem è ratione desumptam. Ad 1. ex natura fidei Ecclesiam secundum id, quod creditur, non videri; inde tamen non sequi, eandem non esse visibilem etiam essentialiter. Nam sicuti homo est essentialiter visibilis, quia scilicet est animal rationale, quod essentialiter corporeum ac visibile est, etiam si per accidens fieri possit invisibilis, & insensibilis miraculosâ Dei virtute, ita Ecclesia essentialiter est visibilis, quia & constat essentialiter Mem-

bris visibilibus, & exigit unionem in externa professione fidei, Sacramentorum usu, ac gubernatione per Caput visibile, quæ omnia essentialiter involvunt visibilitatem.

XXVI. Ait Amestius loco cit. sic nos prorsus cum ipsis sentire, scil. Ecclesiam quoad formam suam essentialiter esse visibilem. Negamus assumptum, quod Puritanus ille fraudulenter affingit Cardin. Bellarmino, solum asserenti, quid credamus, quid videamus. Pro cuius intelligentia adverte; aliam esse formam Absolutam, quam habere debent singula Membra Ecclesiæ, si hujus partes censentur: aliam esse essentialiter Respektivam, quam qualibet ordinata Congregatio habet, & est illa, quam recens diximus, unio; nempe in ejusdem Fidei professione, Sacramentorum usu, ac Gubernatione per Caput visibile; Atque hæc Unio fundatur in singulis subiectis eandem Fidem, Sacramenta, ac Rectorem profertibus. Quamvis igitur fide credatur, hunc cærum esse veram Ecclesiam Christi, hæc Sacramenta esse à Christo instituta, gratiam ac Sanctitatem illius ab eodem Christo profluere; tamen eundem Cærum & Unionem hominum habere, eam fidei Professionem, Sacramentorum Usam, Gubernationem sub uno visibili Capite, in oculos planè omni ex parte incurrit, ut nec Adversarij negare id audent, in eo hallucinati, quod formam essentialem Ecclesiæ putent esse illam ipsam, quæ ad Membrum & partem ejusdem requiritur. Nos non ponimus formam Absolutam & essentialem, quæ ad Membrum Ecclesiæ requiritur, & invisibilis est; sed prædictam Unionem Respektivam, quæ omnium oculis est exposita, & ita explanamus, quænam in Ecclesia videantur, & quæ de eadem credantur. Perinde igitur ac Apostoli aliud in Christo videntur, aliud de eodem crediderunt, ita nos in Ecclesia aliud videmus, aliud de eadem credimus.

XXVII. Ad 2. rationem de militia Christianorum. Etsi hæc militia Spiritualis sit, exerceri tamen etiam corpore; habet insuper hostes visibiles mundum, carnem, arma quoque visibilia, ut Sacramenta, bona opera externa; Agonothetam etiam secundum humanitatem visibilem Jesum Christum Dominum nostrum. Sicut ergo homo, quæ homo, non est invisibilis, cum, ut sic, dicat animal rationale, quod utique corporeum & visibile est; sed prædictam autem sit malignantis naturæ negans totum de subiecto, ita militia Christianorum, etsi aliqua ex parte Spiritualis & invisibilis sit, non tamen absolute dicenda est Spiritualis, cum aliqua corporea & visibilia involat.

XXVIII. Error secundus. Eorundem hæreticorum. Ecclesiam quoque suam esse Visibilem respectu societatis externæ, externorum Religionis exercitorum &c. Item eosdem habere suas proprias & essentielles Notas; nempe sinceram Verbi Dei Prædicationem, veram Fidei Doctrinam, ac legitimam Sacramentorum Ministracionem & Usam. Ita Gerhard, Lib. 2. P. 1. fol. 849. cujus Successor in cathedra Jenensi Joannes Mufæus in opusculo ad Postulata P. Kedd probare inde conatur, apud Lutheranos esse veram Ecclesiam hoc Syllogismo: In quocunque cœtu hominum docetur Verbum Dei, quantum ad piam vitam, & salutem consequendam creditur est necessarium: & ministrantur Sacramenta legitime quoad substantiam juxta Christi institutionem,

ibi est in veritate aliqua Christi Ecclesia. Hoc fit in Lutheranorum cœtu. Ergo in veritate est ibi aliqua Christi Ecclesia.

XXIX. Error iste non est unus, sed geminus duplici responso distinctè rejiciendus, quod in sequentibus accuratè faciemus, prout rei momentum exigit. Itaque

Respon. 1. quoad primam partem, Ecclesiam hæreticorum esse quoque Visibilem &c. directè huic adversari, quod supra §. XIII. ex Luthero & Calvino diximus, nimirum in puerem mortis deductam esse Ecclesiam, ut nusquam ejus species aut vestigium appareat: item totum terrarum orbem Sectariorum doctrinæ habuisse & sensum & usum contrarium: Rursus certum Ecclesiæ interitum consecutum esse &c. Consentiant in id ipsum universim Lutherani & Calvinistæ, qui passim Evangelium suum vocant *Renatum, Renovatum, Revocatum, Revirescens, Reformatum, Doctrinam reformatam, Resuscitatam, Postliminio redactam, Restauratam, Evangelium Wittenbergiæ capiens initium, Ibi capiens lucis exordium &c.* Ex quo contra præsentem errorem sequentia puncta statuo.

XXX. Primum. Fidem atque Ecclesiam Lutheranam (idem sentiendum de Calviniana &c.) esse prorsus novam, atque ab incude adhuc calidam, & ante Lutherum in mundo non extitisse, Quid enim est (repeto verba Lutheri) *Evangelium Wittenbergiæ cepisse initium? de justitia fidei summum diu fuisse silentium*; ut loquitur Confessio Augustana Art. 20. *Totam terrarum orbem ante Lutherum in rebus fidei alium habuisse sensum & usum?* Item (refero verba Calviui) *summam necessaria doctrinam in versam esse?* Quid, in quæ, hoc est aliud, quàm modernum Evangelium & Fidem, adeoque Ecclesiam Sectariorum ante ipsos non fuisse? Et mera est stulticia dicere, Lutheranismum & Calvinismum extitisse ante Lutherum & Calvinum; perinde ac si quis diceret, filium ante patrem, ovum ante gallinam, virum ante caput suum, adeoque sine capite fuisse; quemadmodum etiam S. Optatus Melvitanus loc. cit. contra Parmenian. de Victore Africano scribit, *illum esse filium sine patre, & sequens sine antecedente.*

XXXI. Secundum. Ecclesiam Sectariorum modernorum non semper fuisse visibilem. Sequitur clarè ex recens dictis. Si enim usque ad tempus Lutheri terrarum orbis recenti Sectariorum doctrinæ in rebus fidei habuit contrarium sensum & usum, Ecclesia Lutherana & Calviniana non fuerit visibilis, necesse est, cum omnino non extiterit; siquidem nullus penitus cætus hominum, nulla Secta, nulla domus, nullus angulus ostendi unquam potuit, atque etiamnum potest, qui eandem cum Luthero, aut Calvino & cæteris Novatoribus modernis doctrinam ac fidem haberet, & qui in pluribus, ipsque gravissimis fidei dogmatibus à prædictis hujus temporis Sectis non dissideret, uti prolixè, & ex instituto ostendit Adamus Tanner Part. 1. Anatomie August. Confess. Demonstr. 2. §. 5.

XXXII. Tertium. Ecclesiam eorundem Novatorum etiamnum hodie esse invisibilem. Probatur 1. Quia fatentur Adversarij, & supra jam diximus, ad Ecclesiam propriè dictam ex ipsorum doctrina non spectare, nisi Sanctos, & rectè credentes. Atqui oculis hominum non est obviam, quinam sint Sancti, & rectè credentes. Ergo etiam

Ecclesia verè & propriè sumpta pro congregatione Sanctorum non est visibilis. Nec dici potest, Ecclesiam fieri Visibilem per medium externæ societatis & exercitiorum. Nam id, quod creditur, non fit visibile, nec cognoscitur per ullum externum signum. Sed Ecclesia sive congregatio Sanctorum tantum creditur apud Sectarios. Ergo per nullum externum signum est Visibilis, nec cognoscitur. P. 2. Quia vera Christi Ecclesia ita debet esse Visibilis, ut ex uniformi fidei publicæ professione, Sacrificiorum & Sacramentorum usu, Regimine universali in omnibus suis partibus innotescat. Nam quemadmodum Ecclesia est ex hominibus, ita etiam est pro hominibus instituta; homines autem, ut in unam societatem cœant, debent ipsam Societatem habere notam & manifestam. Atqui Ecclesiæ modernæ Sectariorum istud non habent; siquidem homines sancti & verè credentes omnino ignorantur: professio fidei est diversa in diversis provinciis, ut patet ex ijs, quæ de Unitate Ecclesiæ diximus: numerus Sacramentorum est itidem inæqualis; alij enim duo, alij tria acceptant, ut suo loco de Sacramentis dicemus: Regimen deniq; universale sub uno visibili capite nullum habent, sed à suo quisq; placito regitur, Prædicantes flocci pendens. Ergo &c.

XXXIII. Dicunt Adversarij contra præcedentia puncta. In cœtibus quorumvis corruptorum heterodoxorum, in quibus retinentur Baptismus cum Biblijs Sacris, semper esse aliquos electos, & rectè credentes Fideles, & Sanctos Lutheranos, Calvinistas &c. Probant. Tum exemplo 7000. Virorum ante Baal genua non incurvantium 3. Reg. cap. 19. v. 18. qui in falsa Samariæ Ecclesia dispersi ita clam latuerunt, ut etiam ab Elia non cognoscerentur. Tum quia Verbum Dei nunquam redit Vacuum Isajæ 55. v. 11. Tum quia extra Ecclesiam inveniuntur cœtus alij, in quibus datur salus. Tum quia juxta parabolam Seminantis Matth. 13. Christi Autoritati nihil derogatur, si dicatur, eum in hoc mundo filios regni seminasse: diabolum autem filios nequam superfeminasse; quos ille nolit eradicari, ne forte simul boni tollantur, sed velit finire utrosq; crescere usq; ad messem, hoc est, finem sæculi. Ergo eidem quoque nihil autoritatis demitur, si dicatur, Christum ædificasse quidem Ecclesiam puram, eique dedisse doctrinam Verbi absque omni falsitate veram: Diabolum autem admiscuisse publicæ ejus prædicationi per falsos Doctores Zizaniorum semina, & falsam doctrinam, ita ut tamen triticum media inter Zizania, hoc est, doctrina Christi media inter seducentes & seductos in rectè credentibus conservetur, & semper maneat Ecclesia utcunq; pressa, quæ eam puro corde amplectatur, & ad posteros trasmittat intemeratam.

XXXIV. In hac Novatorum objectione & vanissima persuasionem nihil penitus ostenditur, quam sacrilegus abusus, & perversio Sacræ Scripturæ, quam illi ad ineptas suas novitates detorquent. Nunquid Verbum Dei prædicaverunt Apostoli duodecim, quibus tamen Christus mandaverat Matth. 10. v. 14. Luc. 9. v. 5. ut exeuntes de civitate illa, quæ eos non reciperet, excuterent pulverem pedum suorum in testimonium supra illos. Cur etiam tales latibularij Sancti & Fideles Lutheranij non surgunt in Adversarios, eosq; ut heterodoxos abijciunt, & corruptam eorundem doctrinam abominantur? Profectò cum externam

cum illis communionem habent; conventus celebrant, orant &c. aut paris cum ipsdem fidei, aut meri hypocritæ censendi sunt, non ausi Lutheranam fidem etiam inter sui similes profiteri. Et quamvis gratis largiremur, illos non fuisse obligatos profiteri suam internam ac specialem fidem Lutheranorum apud Pontificios Ministros, quos sciebant sibi adversaturos, nihilominus saltem obligabat semper & pro semper Præceptum Confessionis Fidei ad non negandam fidem, quam credebant veram, per communionem externam cum Ministris Antichristi, quales nos Romano-Catholicos esse calumniantur.

XXXV. Ad 1. probationem dicimus, exemplum hoc non facere ad rem; quippe non negamus, posse Catholicos in eodem cœtu latere, & tamen hæresin nullo modo profiteri. Doctrina igitur nostra tantum procedit de omnibus & solis, qui hæresin quovis modo profitentur in communionem acatholica. Illi septem mille viri tempore Eliæ non juerunt in Dan & Bethel ad adorandos vitulos aureos, sed in Jerusalem, ubi veræ fidei Sacrificia fiebant. Etsi enim ante captivitatem Babyloniam subinde etiã tribus Juda ad idololatriam declinavit, semper tamen in Jerusalem in templo Salomouis veri Dei cultus remansit, ut supra jam diximus. Quare prædicti 7000. Viri corpore solum jungebantur Baal cultoribus; at verò ab idololatria animo alienissimi fuerunt.

XXXVI. Ad 2. Verborum Isajæ c. 55. juxta S. Hieronym. Cyril. ad alios sentus est iste: *Quomodo descendit imber & nix de celo ad fecundandam terram, & illuc ultra non revertitur, supple vacua, ut patet ex vers. seq. (alioqui enim rursus resoluta in vaporem repetunt cœlum seu locum nubium) sic verbum meum, hoc est, promissum hoc meum de novo fœdere vobiscum, de Messia, de Redemptione & Gratia per ipsum toti orbi impertienda, erit efficacissimum, & firmissimum, ac plenissimum. Et quomodo hoc facit ad propositum? Sed demus, Prophetam loqui de quovis verbo S. Scripturæ. Ait sacer textus: Ita erit verbum meum, quod egredietur de ore Deo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcumq; volui, & prosperabitur in ijs, ad quæ misi illud. Quomodo autem verbum Dei in vobis Lutheranis, Calvinistis, & similibus Sectarijs prosperabitur, cum vel ad vos missum non sit: Vel si legitime missum advertitis, præfractè tamen repudiastis? Verbum Dei non est solus exterior cortex literæ, qui teste Spiritu Sancto 2. Cor. 3. v. 6. occidit, sed est potius verus sensus & Spiritus, qui vivificat. Taceo, si etiam Anabaptistas, Quackeros, & quoslibet alios hæreticos dicere posse, nunquam Verbum Dei redire vacuum; cur enim potius in cœtibus Protestantium & Reformatorum prosperetur, quam Anabaptistarum, Quackerorum &c.?*

XXVII. Ad 3. constare ex Sacris litteris, sine fide impossibile esse, placere Deo. Heb. 11. v. 6. & qui non crediderit, condemnatum vi. Mar. 16. v. 16. &c. Ergo extra unam, veram, propriè dictam, visibilem Ecclesiam Catholicam nulla datur salus, cum extra hanc non detur vera Fides. Si igitur Turca aut Gentilis singulari DEI Bonitate & mirabili divinæ Providentiæ modo ad agnitionem veræ Fidei ac Salutem perveniat, jam non Salvatur extra Ecclesiam; siquidem per fidem, quam acquisivit, veræ Ecclesiæ Catholicæ membrum fuit constitutus. Et talis casus accidere potest in eo,

qui

qui inter Turcas aut Gentiles nullo peccato gravius inquinatus ductum luminis naturalis purissime sequitur, atque huic vitam conformem ducit juxta celebrem illam doctrinam D. Thomae de Verit. Q. 14. art. 11. ubi sic scribit: *Certissime tenendum est, si aliquis nutritus in sylvis ductum rationis naturalis sequatur in appetitu boni & fuga mali, quod ei DEUS vel per interitum inspirationem revelaret ea, quae sunt credenda, vel aliquam fidei predicationem ad eum dirigeret.* Quod pronuntiatum communiter ceteri Theologi tenent. Pari ratione si haereticus rite baptizatus simpliciter procedat, ac fraudis haereticæ ignarus nullâ graviore culpâ se obstringat inter medios haereticos moriens salvabitur, ac non extra Ecclesiam Catholicam. Nam licet loco & corpore inter haereticos existat, animo tamen ac fide, quam in Baptismo accepit, in Ecclesia Catholica est, & materialis solùm, non formalis haereticus censetur. Ita SS. Hilarius & Augustinus testantur, sub medio Arianismo multos verè credentes & Sanctos Dei gratiâ fuisse conservatos. Nam simplices illi, & homines parvi intellectus Arianis mixti ac fraudis haereticæ insciji fuerunt persuasi, se sub fucio fraudulentarum phrasium concipere verum Dei Filium; quod etiam in Concilio Ariminensi tot Episcopis Latinis à Græcâna hæresi deceptis contigit, ut supra diximus; quid igitur mirum, quod sic nequissimis permixti permanserint Sancti, Optime in rem præsentem D. Augustinus Epist. 162. sic scribit: *Si qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam nullâ pertinaci animositate defendunt, quarum autem totâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ, ut ait. S. Tho. 22. q. 11. art. 2. ad 3.

XXVIII. Ad 4. deniq; probationem concedimus Antecedens, quod nihil prorsus absurditatis habet. Negamus autem consequentiam, quæ longè absurdissima est, & Christi honori, fidelitati, atque auctoritati summe injuriosa. *Edificavit Christus Ecclesiam suam supra Petram, adeoq; firmam, ut porta inferi ei non prævaleant.* Matth. 16. v. 18. Posuit eam columnam & firmamentum veritatis i. ad Tim. 3. v. 15. Promisit, se prædictam suam Ecclesiam usq; ad finem sæculi conservaturam, & quidem per media ordinaria, Pastores scilicet & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in adificationem corporis Christi, donec occurrant omnes in unitatem Fidei. Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, Ephes. 4. v. 12. &c. Et quomodo cum his fieri, & Christus permittere potest, ut per mille & plures annos subtrahis veris Pastoribus & Doctoribus in eadem Ecclesia subintret Antichristus cum Ministris suis ab eo in officia auctoritatis & potestatis positus, ad quorum instructionem se deberent conferre, quotquot salutem consequi vellent; Sancti verò (chymERICI illi latibularij) haud ab alijs, quam ab Antichristi Ministris instructi speciali Spiritus Sancti dono discernant verum à falso, christianismum ab Antichristianismo &c? An non istud verba ac promissa Christi labefactaret: Veracitatem ejus & Fidelitatem infirmaret: honori atque Auctoritati ejusdem derogaret: omniaq; Sacra ac divina pæssum daret? Profecto apparet Musæum, aliosq; haereticos, dum frequenter occidunt, dogmata Papistarum v. g. de cultu Sanctorum derogare

honori Christi, merò esse hypocritas; si enim honor Christi adeo ipsis est cordi, quomodo ex ore & calamo illorum tam horrendæ in Christum injuriæ prodeunt? Nunc

XXXIX. Resp. 2. quoad alteram partem, scilicet Ecclesiam haereticorum suas habere proprias & essentialia notas &c. hoc frustra asseri. Nam primo. Id quod est in hac vita occultum respectu Mortalium omnium, illud non potest habere extrinsecam aliquam notam, quâ deveniatur in certam ejus aut saltem probabilem cognitionem. Atqui forma, quâ constituuntur recte credentes, & Sancti Lutherani ac Calvinistæ; est prorsus omnibus mortalibus occulta. Ergo non potest habere illas notas, ex quibus vel probabiliter cognoscatur. Major patet, quod enim nullam habet causam & nullum effectum per causas cognoscibilem, & nec in seipso cognoscitur, utique manet omnibus mortalibus occultum. Minor verò inde aperte constat, quod forma constituens Ecclesiam Lutheranorum & Calvinistarum, hoc est, recte credentes & Sanctos, nempe Fides & Justitia Christi extrinsecè imputata nec in se, nec in Causa, nec in effectu nobis innotescant. Quas ergo notas universim illa Ecclesia habere potest, ex quibus vel clarè appareat, vel saltem probabiliter cognoscatur.

XL. Secundo. Illæ Notæ non possunt esse veræ & ad manifestandam veram Ecclesiam idoneæ, quæ nisi prius de hac vera Ecclesia constet, omnes haeretici sibi arrogare, & suis Sectis præfigere possunt ac solent. Sed tales sunt pura Verbi divini prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio. Ergo prædictæ duæ notæ non sunt, nec esse possunt veræ, & ad manifestandam Christi Ecclesiam idoneæ. Major videtur evidens, quia accidens commune etiam contratio non potest esse notâ seu proprietas aut essentia alterius contrarij. Atqui Ecclesia Lutherana & Calviniana & reliquarum Sectarum singulæ sunt prorsus contrariæ. Ergo quod est commune omnibus (uti est pura Verbi divini prædicatio, ac legitima Sacramentorum administratio) non potest esse uni ex illis proprium, ejusque Ecclesiæ notâ discretiva. Probatur igitur jam Minor primi Syllogismi. Tum quia experientia docet, omnes hujus temporis Sectarios Lutheranos & Calvinistas, Zwinglianos, Anabaptistas, Trinitarios, &c. has veræ Christi Ecclesiæ notas penes se esse jactare. Imò jam olim D. Augustinus lib. 3. de Bapt. contra Donatist. sic scripsit: *Omnes seductores non aliter populam sefellerunt, nisi prætextu Sacramentorum & Scripturarum, quæ tenent ad speciem, non ad salutem.* Tum quia omnes Sectarij Sac. Scripturam in suam trahere partem, & ex illa suam doctrinam & Sacramentorum administrationem tueri volunt, & frequenter etiam irrefragibiliter possent, nisi iudicium Ecclesiæ aliunde etiam notæ interponeretur. Videatur Tanner loc. cit. n. 96.

XLI. In Syllogismo illo supra §. XXVIII. alato ad probandum, Lutheranam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, nulla est veritas & sinceritas, sed velamen nequitiae, pallium hæreseos; muscipula rudium, illecebrâ toxicata mellis dulcedine oblita. Nam Major Propositio ne quidem probabilis aut quomodocunque tolerabilis est; siquidem nec ex lumine Naturæ nec ex connexionè cum alia naturaliter evidente, nec ex Verbo DEI revelato nota est;

tum

tum quod in materia versetur supernaturali. tum quod ex sacro codice ostendi non possit, veram Ecclesiam Christi debere solum docere ea, quae cuique ad salutem sunt creditu necessaria; haec quippe paucissima sunt, & stare cum illis possunt pleraeque omnes haereses, quas unquam ortus euomuit. Minor Propositio eiusdem Syllogismi nec pilo est melior, sed illa reconduntur pleraeque haeresum monstra ex privato Spiritu prognata, ut passim ex praesentibus nostris Controversijs constat.

XLII. Ex haecenus dictis facile perspicitur discrimen varium inter nostram & haereticorum doctrinam de Visibilitate Ecclesiae. Nam 1. Nos asserimus, formam Ecclesiae esse Unionem quandam Respectivam ad multitudinem hominum in eadem externa Fidei professione, Sacramentorum usu, Regimine Ecclesiastico: Haeretici dicunt, formam Ecclesiae esse Absolutam, nempe veram Fidem & Iustitiam Christi recte credentibus imputatam. 2. Nos asserimus Ecclesiam esse adaequatè Visibilem, quia omnia visibilia sunt, quae unio illa respicit & complectitur, nempe homines, externa fidei professio, Sacramentorum usus, Ecclesiastica gubernatio: Haeretici dicunt, Ecclesiam esse aliquam solum ex parte visibilem, nimirum per externam societatem & Religionis exercitium. 3. Nos asserimus, Ecclesiam semper esse, fuisse, ac fore visibilem: Haeretici dicere hoc nequaquam possunt. Tum quod nulla ipsorum fides, societas, & Religionis exercitium ante Lutherum omnibus retro annis fuerit. Tum quod etiamnum forma occulta, qua illorum Ecclesia constituitur, per nullum externum signum potest fieri visibilis; siquidem praedicta forma creditur, & qua talis videri non potest.

XLIII. Interim fatemur nos Catholici, in Ecclesia nostra esse aliud, quod videtur: aliud quod creditur. Quippe videmus illam multitudinem hominum in eadem externa fidei professione, Sacramentorum usu, regimine per unum Caput: Credimus autem hanc multitudinem seu coetum hominum esse veram Christi Ecclesiam. Fatemur etiam, eum qui Ecclesiam nostram ingredi cupit, debere omnes ejus partes per totum orbem diffusas habere perspectas, non quod distincta & sensibilis cognitio omnium particularium Ecclesiarum requiratur, sed quod in istis talis debeat esse professio fidei publica, talis Sacramentorum usus, talis gubernatio Ecclesiastica &c. Ut inde cognosci facile possit, eandem quoque esse in alijs partibus orbis talem, qualis est ibi, ubi vult illam ingredi. Sic ergo tota Catholica Ecclesia est adaequatè conspicua in se, ut possit unicuique in particularibus coetibus, si velit eos perlustrare, ad sensum fieri visibilis.

XLIV. Dicunt Visibilitas ista externa per signa praedicta est fallibilis. Ergo per illam cognoscere aliquis nequit, ubinam sit vera Ecclesia, ut illam ingredi possit. Resp. Ad Visibilitatem Ecclesiae sufficere, ut saltem in genere sciatur, in hoc coetu hominum esse quosdam verè Fideles; quamvis in particulari non constet certò, an ille vel iste verè credat; haec autem scientia generalis certa evadit ex sanctitate, miraculis, & alijs notis. Stat igitur doctrina nostra de adaequata Ecclesiae Visibilitate inconcussa: & haeretici contra eam insurgentes ex eo speciatim errant, tum quod sup-

ponant falsa sua principia, tum quod perinde de rebus supernaturalibus ac naturalibus Philosophandum putent.

## CONTROVERSIAM XXI.

### DE INFALLIBILITATE ET Perpetuitate Ecclesiae.

**N**on est quaestio de aliqua parte Ecclesiae, sed de tota Ecclesia. Nam aliquam Ecclesiae partem, hoc est, aliquos Christianos errare posse, & verò re ipsa errasse, extra omnem controversiam est. Erravit Arius negans Christi Divinitatem. Erravit Macedonius Spiritus Sancti Divinitatem negans. Erravit Nestorius asserens, duas in Christo personas. Erraverunt Eutyches & Dioscorus, asserentes unam in Christo Naturam. Erraverunt Pelagiani negantes peccatum originale, & necessitatem gratiae. Erraverunt Donatistae in sola Africa veram Christi Ecclesiam esse rati. Erraverunt Agnoistae, Monothelitae, Albigenes & alij plures, qui omnes, cum corrigi ab Ecclesia noluerint, sed pertinaciter in errore suo perstiterint, ab eadem damnati, & tanquam membra putrida abscissi fuerunt. Loquendo igitur de tota multitudine & grege Christianorum ex Pastore & ovibus conflato.

#### PARS PRIOR.

#### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

**D**octrina Prima. Tota Ecclesia Catholica nunquam in fide erravit, neque deinceps errare potest. Ita omnes Catholici omnibus retro saeculis, uti eruditissime ostendit P. Jacobus Guaterius in Tabulis suis chronographicis. Probat, 1. ex S. Script. Isajae 54. v. 4. dicit Deus ad Ecclesiam suam: *noli timere, quia non confundèris, neque erubescès.* Matth. 16. v. 16. & cap. 28. v. 20. ait Christus: *Eccè ergo vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Ioa. 16. v. 13. *Spiritus veritatis, qui docebit vos omnia.* Matth. 16. v. 18. *Portae Inferi non prevalebunt adversus eam.* Unde sic argumentamur. Si tota Ecclesia decipi posset, & induci in errorem, Ecclesia confunderetur & erubesceret: Christus non esset cum illa usque ad consummationem saeculi: Spiritus S. non doceret illam omnem veritatem: Portae inferi prevalerent adversus eam &c. Consequens repugnat promissionibus Dei & Christi. Ergo &c.

II. Dicunt haeretici 1. has promissiones esse quaedam factas Ecclesiae, sed cum conditione vitae probae, qua non subsecuta per sceleratos Pontifices, Spiritum veritatis ab Ecclesia recedere; unde ajunt, Scripturam Isajae 59. v. 20. *Ieremiae 31. v. 31. ad Hebraeos 8. v. 6. expressè mentionem facere feceris, & conditionem clarè exprimere.* Ioan. 8. v. 31. *si in sermone meo manseritis, verè mei discipuli eritis.* 2. Promissionem Matth. 16. *Portae inferi &c. intelligendam esse de Ecclesia Invisibili, quae nunquam*

quam errat; imò visibilem etiam non vinci à dæmone, licet in errorem inducatur, modò in eo non persistat.

III. Verùm hæc frivola sunt. Nam promissio DEI & Christi facta est absolute absque ulla conditione; aliàs nihil in Ecclesia certi haberemus, & semper cogitare possemus, nulli Concilio etiam Niceno, Ephesino, Constantinopolitano, Chalcedonenfi (quæ tamen ipsi etiam Adversarij legitime censent) sciendum esse; siquidem nescimus, an Patres, qui illis interfuerunt & decreta fecerunt, coram Deo extiterint iusti, probi, integri vitæ scelerisque puri. Quæro etiam ex Sæcularijs, quid prius sit, Christum ab Ecclesia deseri, vel Ecclesiam à Christo deseri? Si secundum; Christus mendacij reus erit; etenim deserit Ecclesiam adhuc fidelem; Primum dici non potest; quippe impossibile est, Ecclesiam fieri infidelem; & errare, quamdiu illam gubernat Christus, qui est ejus Caput infallibile ad Ephes. 1. v. 22. & 23; item quamdiu habet assistentiam Spiritus Sancti ipsi in æternum promissam. Ioan. 14. v. 10. cum infallibilitas Ecclesiæ sit effectus necessarius Christi eam gubernantis, & Spiritus S. perpetuò eidem assistentis.

IV. Ad 1. igitur obiectum dicimus. Promissionem esse factam absque ulla conditione probæ vitæ &c. Unde ad Scripturam Isajæ, Jeremiæ, ad Hebræos dicimus, vocem fœderis non semper sumi in stricta significatione, sicuti fit Lege Contract. 16. Cod. de fide instrument. Lege Labeo ff. de verb. sign. sed frequenter in latiore pro pacto, ad ejus substantiam sufficit promissio; & hujus acceptatio. Et licet aliqui Pontifices malè vixerint, gratia tamen gratis data Ecclesiam semper rectè docendi apud ipsos mansit; quando enim dicitur in Scriptura, Spiritum Sanctum cum sua illuminatione, & Sapientiam non manere in peccatoribus; intelligendum id solum de gratia gratum faciente; non de gratia gratis data. Ioan. 8. Christus loquitur solum ad Judæos quosdam, non ad universam Ecclesiam, ut ex textu patet.

V. Ad 2. Distinctio in Ecclesiam Visibilem, & Invisibilem jam supra rejecta fuit; & abunde probatum; veram Ecclesiam debere esse Visibilem, omnibusq; notam. Non obstant damnatorum in inferno querelæ Sap. 5. v. 6. Quia non queruntur, quod cognoscere veram Ecclesiam non poterint, sed quod intrare in eam noluerint. Quod de Ecclesia Visibili adjunctum est, eam scilicet non vinci à Dæmone, etiam si ab isto in errorem inducatur, modò in hoc non persistat. Id aperte falsum est; si enim hostis aliquam civitatem occupet, verissimè prævalet, etiam si eandem postea iterum amittat.

VI. Equidem potest doctrina nostra allatis S. Scripturæ testimonijs bene probata & stabilita videri contra hostium insultus, placet tamen adhuc unum adducere, quod testimonium in primis effitax & celebre tradit Apostolus Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 15. sic ad eum scribens: *ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi Columna & Firmamentum veritatis.* Alludit ad duas templi Salomonici columnas *Iachin & Boos*. 3. Reg. 7. v. 21. ut volunt Abulensis, Vatablus & Ribera; unde sic argumentari possumus. Si Ecclesia in fide erraret, non esset Columna & Firmamentum veritatis. Consequens repugnat S. Paulo, Ergo & Antecedens. Min. patet ex textu Apostoli, Ma-

joris sequela inde constat; quod metaphoræ columnæ & firmamenti significent firmam & immobilem constantiam non quamcunque, sed in veritate, ut bene advertit Cornel. à Lapide ajens, Columnam & Firmamentum idem esse ac columnam bene firmatam, ac firmatam veritatem; est enim Hendiadis, qualis est cum dicitur, aurum frenosque momordit; alioquin meliùs comparata fuisset arundini vento agitæ sicuti Christus Matth. 11. v. 7. huic instabiles animos comparavit. Contra hoc tam luculentum S. Scripturæ Testimonium varias easquæ absurdas glossas afferunt Adversarij, quas breviter exponam, & refellam.

VII. Dicunt 1. Apostolum loqui solum de Ecclesia particulari Ephesina, sed hoc falsum est. Unde enim ista Ecclesia particularis præ alijs habet talem prærogativam, contra tot alia testimonia, quibus toti Ecclesiæ infallibilitas adscribitur? Loquitur ergo Paulus de universa Ecclesia, in qua etiam versabatur Timotheus, hoc ipso quod in aliqua ejus parte versabatur; qui enim ambulat in hypocaufto, etiam in domo ambulat. Hinc simul Timotheo insinuat, infallibilem veritatem fidei propositionum ex unanimi Ecclesiæ universalis confessione petendam esse, quæ etiam per Ministros Ecclesiæ traditur, cum Apostoli, quibus infallibilitas est concessa, non semper essent futuri supertites.

VI. Dicunt 2. Ecclesiam non vocari Veritatis Columnam activè, quasi fulciat & sustentet veritatem, sed passivè, quod ipsa fundetur & sustentetur à veritate. Sed quis columnam vocet columnam pavimenti, quia innititur pavimento? Rectius ergo Theophylactus, Chrysostomus, Beda & alij apud Cornel. à Lapide allati asserunt; Ecclesiam dici firmamentum tam activum, quam passivum; quia in fide & veritate passivè firmatur à Deo per infallibilem assistentiam Spiritus S. à Christo promissam; & quia per eam omnes Fideles activè confirmat, sicuti prædictæ columnæ Iachin & Boos firmarunt & stabilierunt templum Salomonium. Sed hinc:

VII. Dicunt 3. Columnas non esse perpetuas sed vetustate vel tempestate vel tormentis eventi, Ergo ex hoc non rectè colligitur perpetuitas infallibilitatis. Sed hoc non urget, cum etiam Ecclesiæ Militantis columna aliquando desitura sit, scil. ad finem mundi; *cum enim venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*. 1. ad Corinth. 13. v. 10. Quod autem ante finem mundi vera fides non sit desitura, mox patebit. Instant. Veritatem etiam interire propter peccata. Ajo, homines propter peccata posse veritatem amittere: Deum autem, qui primà est veritas, non posse promissis suis non stare; affirmat iste de universali Ecclesia, quæ est Domus Dei, eam esse columnam & firmamentum veritatis, quod semper verum est; quia hoc dixit veritas.

VIII. Dicunt 4. Veritatem Dei esse Verbum Dei Scriptum, & illud solum ab Ecclesia asservari. Sed Ecclesia Christi erat vera, priusquam Apostolus illam Epistolam scriberet; imò astrequàm illud liber scriptus Novi Testam. extaret. Neq; asservatio scripturarum est Columnæ & Firmamenti, sed Bibliothecarum & Arcarum, ut planè Calvinus risu dignus sit ob tam stolidam interpretationem, quam affert Lib. 4. Inst. cap. 8. §. 13. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 121. Et rursum fol. 688. Vbi prædicta verba D. Pauli ad Timoth. pluribus

pluribus contra Scheiblerum, Matthifum, Crocicum & alios sectarios defendunt, nobisque consentiunt.

IX. Probatum jam 2. allata doctrina nostra ex Patribus, quos fuse præter alios adducit Bernardinus Vervveis in speculo Ecclesiæ fol. 70. Sufficiat nobis S. Cyprian. Epist. ad Cornel. *Ecclesia*, inquit, *quæ Christum credit, & quæ semel id, quod cognovit, tenet, nunquam ab eo omnino discedit.* Et D. August. in Psalm. 103. explicans verba illa v. 5. *Fundasti terram super stabilitatem suam*, sic de Ecclesia scripsit: *ipsa est prædestinata Columna & Firmamentum veritatis. 1. ad Timoth. 3. nutabit Ecclesia, si nutaverit Firmamentum, non nutante Christo, non inclinabitur.* Similiter loquitur Lib. de Unitate cap. 24. & alibi, ubi sine limitatione vel distinctione supponit Ecclesiam esse Columnam veritatis, quæ nec nutare, nec inclinari possit, quod tamen fieret, si pluribus erroribus obnoxia foret; in quem finem scribit etiam Cyril. Alexad. Lib. 5. in Isaiam, cap. 54. *adificat, ait, Ecclesiam, & eam sarram tectamq, conservat, ne nutet Christo protegente & concedente, ut in concussa & immota sit; adversus hanc enim, inquit, porte inferi non prævalebunt.* Quomodo autem non nutaret & concuteretur, si in pluribus erraret?

X. Probatum 3. ratione ex verbis Christi deducta. Si Ecclesiam Christi audire tenemur, infallibilis illa esse debet; quippe iniquitas foret, si fallibilem audire deberemus. Sed verum est Antecedens Matth. 18. v. 17. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesia: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ergo & consequens. Dicunt Adversarij, hoc intelligendum de moribus. Verum si Ecclesia in doctrina morum intelligenda sit, cur non potius in doctrina Fidei. Rursus si Christus visibili Ecclesiæ eandem fidem adhiberi voluit, quam sibi metipsum, perinde istam ac illum infallibilem esse oportet; quomodo enim Ecclesiæ fallibili & fallaci obedire nos iussisset? aut quomodo Ecclesiæ invisibili obedire potuissimus? Sed verum est Antecedens Matt. 23. v. 3. *quæcumq; dixerint vobis, facite & servate.* Ergo & Consequens.

XI. Ex hæcenus dictis tria apertè inferuntur doctrinæ puncta. Primum. Cum Ecclesia Christi, ut hæcenus ostensum, non possit deficere aut errare in Fide propter peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, quam Christus illi promissit, magnam omnino esse debere ejus Auctoritatem in negotio Fidei ac Religionis, quam Auctoritatem sæpe commendat D. August. ut Lib. contra Epistol. Manichæi cap. 5. cum ait; *Ego verò non crederem Evangelio, nisi me Catholice Ecclesie moveret Auctoritas.* Et Lib. de utilitate credendi ad Honoratum c. 17. *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumq, videamus, dubitabimus Nos ejus condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus culmen Auctoritatis obtinuit, cui nolle primas dare, vel summa profectio impietatis est, vel præcipitis arrogantia.*

XII. Secundum. Definitiones & decreta universalis Ecclesiæ ad fidem pertinentia non minùs infallibilia esse, quam Biblia; quia ab eadem infallibili Spiritu proveniunt, ac consequenter non minùs credenda, quam quæ in Biblijs leguntur; modo prius constet, illam esse veram Ecclesiam, sicuti prius constare debet, esse legitimam Bibliam, perinde ut præconibus à magistratu missis non minùs creditur, quam programmatibus, cum præsertim ip-

sa Bibliorum auctoritas à testimonio Ecclesiæ dependeat, ut diximus in Controv. de Sac. Scripturâ.

XIII. Tertium, neminem posse errare in Fide & Religione, qui sentit, quod tota Ecclesia, vel, quod idem est, unusquisque tutò & secure potest id amplecti aut respuit, quod tota Ecclesia amplectitur, aut respuit. Atque hæc est Regula, quam in Ecclesiæ Auctoritate fundatam perpetuò urgent Catholici, & ex qua D. August. plura & magni momenti puncta resolvit. v. g. *orandum esse pro mortuis*, Lib. 1. de cura pro mortuis cap. 1. *parvulos esse baptizandos*, Epist. 28. ad Hieronym. *hereticos non esse rebaptizandos* Lib. 1. contra Cresconium Grammat. cap. 3. *Librum Matthei Evangeliste, esse Canonicum*, non Librum Manichæi, qui illi contrarius est, Lib. 28. contra Faustum. cap. 2. &c.

XIV. Doctrina Secunda. Vera Christi Ecclesia à primordio hucusq; fuit non interruptâ ferie continuata: & deinceps usq; ad finem mundi perseveratura est. I. Pars doctrinæ hujus de tempore præterito probata est supra in Controv. XVIII. de Antiquitate Ecclesiæ. 2. Pars de tempore futuro etiam jam patet ex illa sententia Christi Mat. 16. v. 18. sæpe jam adducta: *Porte inferi non prævalebunt adversus illam*, hoc est, Ecclesia erit inexpugnabilis, nec ulla dæmonis astutiâ aut violentiâ poterit everti. Nam per Metaphoram portarum hebræi significant sapientiam & potentiam; quoniam in urbibus Judæorum juxta portas & fortissimi Milites excubabant, & sapientissimi Judices palam judicium celebrabant, ut indicat Salomon Proverb. 31. v. 23. *nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum Senatoribus terra.* Pulchrè D. Chrysostomus in demonstret. quod Christus sit Deus Tom. 5. pag. 747. in cit. verba, super hanc Petrum &c. Sic scribit: *examina, ut libes, quid hoc sibi verbum velit, & videbis perspicuam ejus veritatem.* Nam non solum hoc mirum est, quod edificavit eam per totum mundum, sed quia invictam fecit, & invictam servat, licet tot bella insurgant; hoc enim est, quod porte inferi non prævalebunt adversus eam. Pericula, ait, quæ mortem generant, pericula; quæ in infernum deducunt. Vidisti prædictionis veritatem? Vidistis verba in operibus Lucentia, & virtutum absq; armis omnia facile confitentem.

XV. Porro hanc Perpetuitatem & inexpugnabilem constantiam in fide non esse naturalem, nec humanis viribus nixam; tunc maxime paruit, cum Ecclesia omni humano subsidio destituta omnium Principi armis impugnaretur, sicuti accidit circa an. Christi 500. quando omnes Dynastæ mundi fuerunt Ethnici vel hæretici. Nam tunc Anastasius Imperator fuit Hæreticus Eutychnianus, Reges Italiæ, Hispaniæ Africæ Ariani: Reges Francorum, Anglorum, Germanorum Pagani, ut notavit Bellarm. in sua Chronologia. Et tamen Ecclesia immota persistit in sua fide, quod naturalibus viribus fieri non potuisset, cum alia potentissima regna conciderint, ut quatuor Monarchiæ Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, solo Regno Christi permanente, quem admodum Deus præfiguravit per statuum Nabuchodonosori ostensam, & à Daniele expositam. Daniel. 2. v. 44. *suscitabit Dominus Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*, scil. Regnum Christi, quod est Ecclesia; quò alludens Gabriel Archangelus Luc. 1. v. 32. de Christo prædixit: *regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regnû ejus non erit finis.*

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

## XVI.

**E**rror primus est: Ecclesiam Visibilem posse errare, & reipsa saepius errasse. Ita Lutherani apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 834. & Calvinistae apud Ames. Tom. 2. fol. 51. Probant. Tum varijs alijs testimonijs utriusque testamenti passim jam propositis, tum quia Matth. 24. v. 4. Christus ait: *videte, ne quis vos seducat.* & v. 11. *Pseudopropheta multos seducunt.* 2. ad Thessal. 2. v. 10. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Tum quia daemone praevaleat in moribus & multos fideles in gravissima peccata inducit. Cur ergo in errores Fidei inducere nequeat, cum Voluntate non sit firmiter humanus Intellectus? Tum quia Ecclesia Papistarum docet aliqua, quae nec Christus, nec Apostoli docuerunt, qui omnem veritatem à Spiritu Sancto didicerunt: nec aliud istos docuit, quam quod Christus ante praedicavit, & ab isto audivit Spiritus ille, ut patet ex Joannis 16. Tum quia Catholici vitiosum committunt circulum, quando Infallibilitatem & Auctoritatem Ecclesiae probant ex Divina Scriptura: Et rursus Infallibilitatem & Auctoritatem Scripturae ex Ecclesia.

XVII. Nihil crebrius & vehementius Sectariorum crepant, quam Ecclesiam deficere posse, & verò re ipsa defecisse; atque ad hoc persuadendum varia rationum momenta in pharetra sua accumulavit, quae veluti Lethalia tela in nos emittunt. Sed rectè de his dixerit illud Regij Psalms Pfalm. 63. v. 8. *Sagitta parvulorum facta sunt plaga eorum.* Ex hoc enim haereticorum errore aperte inferitur 1. Totam illorum Ecclesiam errare posse. 2. Neminem apud illos securum esse de fide. 3. omnem eorum conatum, quo contendunt Romanam Ecclesiam errasse, & Adulteram fuisse factam, ed Spectare, ut fateantur, eos esse spurios & adulterinos, utpote natos ex matre adultera; Siquidem Lutherus, Calvinus & similes Pseudo-Magistri ex Ecclesia Romana prodierunt. Ecce quam ignominiosae plagae parvulorum. Alius est sensus verorum Filiorum de Matre sua Ecclesia, scilicet hanc alienam esse ab adulterio, imò ab omni committendi erroris suspitione remotissimam. Talis fuit D. Hieronymus in cap. 3. ad Ephes. scribens: *Ipsi itaque Deo sit gloria, primum in Ecclesia, quae est pura non habens maculam, neque rugam.* Tales fuerunt alijs SS. Patres, Ecclesiam mundam, pulchram, & ipsa terrâ Caeloque immobiliorem asserentes. Tales & nos Romano-Catholici omnes sumus, Sanctam Matrem nostram Ecclesiam semper invitam consistentes; etiamsi Inferi commoveantur & omnes Satanæ ministri in ipsam insurgant.

XVIII. Respond. ad 1. Non posse probari ab Adversariis, Ecclesiam totam vel errasse hactenus, vel deinceps erraturam. Quae occinunt, hinc inde in varijs Controversiarum locis refutantur, & vel unica hac sententiâ D. Cypriani Lib. de unitate Ecclesiae refelluntur: *adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & Pudica &c.* Ad 2. Quae Matth. 24. & ad Thessal. 2. dicuntur, ad Singulos Fideles: non ad universam Ecclesiam spectant. Ad 3. Disparitatem esse, quod Christus

promiserit intellectui humano Infallibilitatem Fidei: non item Voluntati immutabilitatem virtutis. Adhuc nunquam tota Ecclesia in peccata labitur, sed semper in se habet aliquos Sanctos, ut supra diximus Controv. XVI. de Sanctitate. Ad 4. Hoc argumentum in multis peccare. Nam 1. male supponit, omnem Christi & Apostolorum doctrinam esse relatam in Scriptum, quod supra rejecimus. 2. nimis pressè accipit illa verba Christi Joan. 16. v. 13. *Vos docebit omnem veritatem,* quae à Patribus solam intelliguntur de omni veritate juxta rationem temporis, seu utili ad bonum Ecclesiae regimen. 3. Falsò imponit Christo, quasi dixerit, Spiritum Sanctum non aliud docturum suggesturumque Apostolis, quam quod Christus prius docuerat; cujus oppositum ipse clarè asserit Joan. 16. cit. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* nempe illam, quam ob incapacitatem vestram contraceo. Quando autem additur: *quacunque audieris non intelligendum id de sensibili auditione, sed metaphorica, nempe de Spiritu Sancti à Filio processione à Patribus ex hoc Textu asserta, per quam processionem Spiritus Sanctus omnem Scientiam unâ cum divina Essentia à Filio accepit.* Dicere igitur vult Christus, Spiritum Sanctum nihil locuturum contrarium doctrinae, & voluntati suae. Ad 5. Non-nihil supra jam dictum fuisse in Controv. 2. de Sac. Scriptura §. XVII. ad cujus nunc exactiorem intelligentiam.

XVIII. Supponendum ex Philosophia, duplicem esse Circulum. Materialem & Formalem. Materialis est, cum eadem res, sed aliter atque aliter considerata ex se ipsa colligitur; sicut in Deo probamus Justitiam & Misericordiam ex Sanctitate. Sanctus est. Ergo justus est. Quae tamen perfectiones in Deo non distinguuntur, adeoque idem per idem probatur. Similiter probamus, hominem esse substantiam, quia est animal; cum tamen substantiae & animalitatis gradus realiter non differant. Et hujusmodi circulus non est vitiosus, sed ingeniosus, rem eandem in varijs formalitates distinguens. Formalis est, cum eadem res sub eadem formalitate ad suum ipsius probationem assumitur, quod sanè nugatorium ac vitiosum est; ac si probarem, bis tria esse sex, quia sex sunt bis tria. Unde Arist. 1. Posterior. c. 3. merito in veteribus quibusdam reprehendit hunc posteriorem circulum; quia idem respectu ejusdem foret notius, & ignotius, prius & posterius &c: non verò priorem, sed istum ipsamet adhibet, quando 8. Phys. Tex. 53. aeternitatem Motoris ex aeternitate motus, & vicissim probat.

XIX. Porro duplex est Auctoritas Ecclesiae; Una Humana inde orta, quod haec prudentibus doctis, probisque hominibus constat, quos omnes simul errasse, non est verosimile: altera Divina ex gubernatione & illustratione Spiritus Sancti proveniens. Non potest autem Scriptura Ecclesiae, vel Ecclesia Scripturae conferre Auctoritatem, sed praehabitam tantum manifestare; Sicuti quando novus Papa in Conclavi electus ab aliquo Cardinali ex superiore & exteriori loco Vaticani publicatur; iste Cardinalis non facit illum Pontificem, sed jam factum solummodo manifestat, ac promulgat.

XX. Loquendo igitur universim de Infallibilitate

litate tam Sacrae Scripturae, quam Ecclesiae tres auctus interveniunt. Primus per humanam Ecclesiae Auctoritatem detegit, & manifestat Auctoritatem divinam Scripturae, quod sit Verbum DEI. Secundus ex cognita Scripturae Auctoritate vicissim haec patefacit divinam Auctoritatem Ecclesiae. Tertius ex divina auctoritate Ecclesia sic patefacta rursum confirmat divinam Auctoritatem Scripturae. Et sic ab humana Auctoritate Ecclesiae rediit ad divinam ejus Auctoritatem; quae sunt diversae formalitates, adeoque non fit circulus formalis, sed Ecclesia, quae, ut viris doctis, prudentibus, & probis constat, & saltem humana fide digna est, testatur hanc Scripturam esse Verbum Dei: Et sic Sac. Scriptura pro verbo Dei agnita vicissim testatur, Ecclesiam a Spiritu Sancto infallibiliter regi, adeoque duplicem habere Auctoritatem Humanam & Divinam, utramque sibi faventem. Ita praeter alios Tanner Tom. 3. fol. 250. ubi ex professio de infallibilitate Sac. Scripturae agit, & rem breviter hoc templo declarat. Si Deus, inquit, duobus Prophetis revelaret quaequam, & inter ista, utrumque ipsorum esse verum Prophetam, addita sufficiente vi, qua alter alteri ejusmodi vaticinia sufficienter redderet credibilia, tum vicissim unus alteri testimonium merito perhiberet.

XXI. Ab hac doctrina nostra minimè alieni sunt, sed eandem tenent illi Auctores, qui absolute docent, ad interrogationem, unde habeamus Ecclesiam esse infallibilem, a priori responderi; quia praedita est sanctitate, unitate doctrinae, diffusionem per universum orbem, Successione continuam Pontificum in sede Apostolica, innumeris viris Sanctitate, doctrinam, virtute conspicuis, atque indubitatis miraculis, ut cum Richardo de S. Victore Lib. 1. de Trinit. cap. 2. non immerito quisque nostrum verba illa usurpare possit: *Domine si error est (credendo hanc Romano-Catholicam Ecclesiam pro tua unica vera & infallibili Ecclesia) a te decepti sumus; ipsi enim testimonio Ecclesia haec confirmata est, quae nisi a te fieri non potuerunt.* Et cum haec proprietates Ecclesiae Catholicae adeo perspicuae sunt, mereanturque, ut ob Traditionem seu Revelationem non Scriptam res credatur, ulteriori probatione ex Sac. Scriptura seu Verbo Dei scripto opus non esse. Quando nihilominus eadem adducitur pro probanda infallibilitate Ecclesiae, fieri illud quasi a posteriori, & quasi per reflexionem. Nam dum per infallibilis Ecclesiae declarationem ostenditur, hanc Scripturam esse verbum Dei scriptum: & ista saepius Ecclesiae meminit, eique clarissima testimonia perhibet, eadem Scripturae testimonia usurpari ad majorem confirmationem; & declarationem aliunde jam cognitae, & creditae infallibilitatis Ecclesiae; praesertim dum quoad hoc in ordine ad hominem & ex concessis disputatur contra haereticos, qui Sac. Scripturae Testimonia rejicere nequeunt, cum illam solam pro unico Dei verbo agnoscant. Ita fere Authores illi. Atque haec via expeditissima est ad evitandum eum, quem diximus, vitiosum circum, qui Doctores non parum haecenus vexavit. Videri potest Vitus Eiberhan in Trophæis Rom. Eccles. fol. 96.

XXII. Caeterum Sectarum qui nobis hunc circulum obijciunt, illi ipsi sunt, qui cum impijs Psal. 11. v. 9. *in circuitu ambulantes*, & in sua credendi ratione ineluctabilem circulum committunt.

Nam interrogati, unde credant, Scripturam esse divinam, & verè DEI verbum? Respondent ex interna testificatione Spiritus Sancti. Si rursus roges, unde constet, internam illam testificationem esse a Spiritu Sancto? Respondent ex S. Scriptura Joan. 10. v. 16. *Oves meae vocem meam audiunt.* Si demum scisciteris, unde noverint, hanc esse Scripturam Sacram? Iterum recurrunt ad internam testificationem, & sic tacite se respondent. Et sic tota ipsorum fides sistit & privata assistentia Spiritus, & humana Sac. Scripturae expositione ad salutem minimè sufficiente nituntur. Qui sane est error maximus, & poena DEI summa, dum miseri relinquendo Ecclesiam Catholicam Spiritus Sancti assistentia praeditam sibi ipsis relinquantur, & proprios suos ac fallaces sensus pro infallibilibus Sancti Spiritus effatis habent & sequuntur.

XXIII. Error secundus est eorundem haereticorum, Ecclesiam visibilem nec semper durasse, nec semper duraturam. Nam, inquit, Synagoga Judaeorum non minores factae sunt promissiones, quam Ecclesiae Christi de Perpetuitate illius. Levit. 16. v. 29. *Erit vobis hoc legitimum sempiternum.* 3. Reg. 9. v. 3. *Sanctificari domum hanc, quam adificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi junctis diebus.* Psal. 131. v. 3. *Et egit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: haec habitatio mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Baruch. 4. v. 1. *Hic liber mandatorum DEI, & lex quae est in aeternum.* Nihilominus Templum Salomonis dirutum. Lex Moysis abolita, & Tota Synagoga tum ante saepius obscurata, & ferè in nihil redacta. Tum demum tempore Passionis Christi penitus sublata fuit, quando summi Pontifices Scribae & Pharisei, qui Titulum Ecclesiae sibi arrogabant, Christum praevalebunt haerent, & totus Populus illorum sententiam approbavit, quid nisi igitur Ecclesia Christi non obstantibus ijs, quae adductae sunt, promissionibus, perire etiam sic possit?

XXIV. Contra errorem hunc manet, quod diximus ex Sententia Christi Matth. 16. v. 18. *Ei porta inferi non praevalent adversus eam*; quanto minus adversant, Christum praevalebunt haerent, etiamsi omnes conatus vires & astutias suas exerant. Pro solutione argumenti, quo Adversarii utuntur, Sciendum, nomen aeternitatis in Sacris litteris variè sumi. 1. pro infinita duratione Matth. 25. v. 45. *ibunt ibi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* 2. pro duratione usque ad finem mundi Psal. 48. v. 12. *Sepulchra eorum domus illorum usque in aeternum*, id est, usque ad extremum iudicium, ubi omnes resurgent. 3. pro longiuscula duratione unius saeculi Exodi 15. v. 18. *Dominus regnabit in aeternum & ultra*; id est, hoc & sequentibus saeculis, cum infinita duratio nihil patiat ultra. Quomodo autem nomen aeternitatis in hoc vel illo loco Scripturae sit accipiendum, partim ex subjecta materia, partim ex circumstantijs adjunctis est dividendum. Hoc notato.

XXV. Respondetur 1. Ex priorè Controversia jam patere, quod Synagoga nunquam, etiam tempore Christi, defecerit quoad fidem, alias tunc nulla Ecclesia vera extitisset, quod est absurdum; quia Ecclesia Christi per hujus passionem & mortem primum fuit obtenta, & perfectè erecta. Unde Act. 20. v. 28. admonetur Episcopi regere Ecclesiam

ham Dei, quam acquisivit Sanguine suo. Non igitur prius fuit Ecclesia Christi, quam ejus Sanguis fusus. Ad Hebræos 9. v. 15. Paulus ait: Christum esse Mediatorem Novi Testamenti per Sanguinem suum; ubi enim testamentum est, mors necesse est, intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin non valet, cum vivit, qui testatus est. Sic etiam Scribit D. August. Tract. 10. in Joan. Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ sit Eva de latere, mortuo Christo lancea percussit latus, ut profuissent Sacramenta quibus formatur Ecclesia. Quapropter ante mortem Christi novum Testamentum neminem obligavit, quia antiquum nondum fuit sublatum, & ad istud etiam justi & electi in Israël Zacharias, Joannes Baptistæ, Joseph, Maria, Simeon, Anna Prophetissa &c. ante mortem Christi spectaverunt. Eiusdem Testamenti tanquam veræ tunc Ecclesiæ supremum Caput & Doctores fuerunt summi Pontifices, Scribæ, & Pharisei, qui etsi privatas suas Sectas & errores haberent, docuerunt tamen in communi Legem Moysis, quam omnes Judæi profitebantur. Et hoc intendit Christus paulò ante mortem, dum ait: Omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate & facite. Matth. 23. v. 3.

XXVI. Respond. 2. Aternitatem Synagogæ promissam strictius accipiendam pro aliquot sæculis, scilicet usque in adventum Messie; tunc enim illam Synagogam desitutam & in statum perfectiorem tranmutandam, habetur ex Jerem. c. 31. v. 31. ubi hæc leguntur: Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Israël, & domui Judæ sedes non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, hoc est, non transcursum, sed stabiliter permanens, non severitatis, sed benignitatis &c. ut exponunt S. Hieron. D. Thomas. Joannes Maldonatus & alij apud Tirinum.

XXVII. Respondetur. 3. Si aternitatem velimus latius sumere pro duratione usque ad finem mundi, tunc promissionem Templo factam conditionate esse intelligendam, si servarent Legem Dei, ut declarat Scriptura in Levit. cap. 26. & alibi sapius repetens ista verba: Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis & feceritis ea &c. At verò Christo & ejus Ecclesiæ promissa est perpetuitas sine ulla conditione, ita ut quantiscumque peccatis intervenientibus non deleatur propter merita Christi; id quod sumitur ex Jerem. 31. cit. v. 37. ubi hæc habentur: Hæc dicit Dominus, si mensurari poterint cali sursum, & investigari fundamenta terræ deorsum, & abijciam univsum semen Israël propter omnia, quæ fecerunt; Et mox: adificabitur Civitas Domino, & non destruetur ultra in aeternum. In hoc loco ex antecedentibus certum est, agi de Ecclesia Christi. Sensus igitur est verborum Dei: si homines magnitudinem & altitudinem Cælorum mensurare, & profundum terræ penetrare possunt, & ego Deus univsum semen Israël abijcere potero; sed sicuti illa nunquam fiunt, ita ego nunquam semen Israël abijciam. Sed propter Christum primò Apostolos, & discipulos: deinde innumera ex Israël millia Ecclesiæ Christianæ adjungam: Demum in fine mundi reliquos eidem aggregate decrevi. Videatur Tirinus in cit. loc. Scripturæ. Et Bellarminus Lib. 4. c. 6. de Eccles. Duratione, ubi a tempore Apostolorum usque ad tempus Lutheri refert ducentas Hæreticorum diversissimas Sectas; quarum pauca ex Arianis, Nestorianis & Eutychi-

anis solùm reliquiæ superfunt: cæteræ omnes penitus evanuerunt; tamen multæ ex illis multos Episcopos, multas Ecclesias, multos Imperatores & Reges habuerint Patronos, & innumerabiles etiam libros scripserint, qui cum ipsis hæreticis interièrent. Idem fatum modernis Sectis Lutheranæ, Calvinianæ &c. imminet. Quare ex consilio D. Hieronymi advers. Luciferanos: In ea Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc perdurat; quæ est Romano-Catholica, Infalibilis, & Perpetua.



CONTROVERSIA XXII.

DE MIRACULIS ECCLESIAE.

D Thomas Aquinas 3. P. Q. 45. art. 1. Miraculum vocat Sigillum quoddam divinæ Auctoritatis. Sed elegantius adhuc scribit D. August. Tract. 24. in Joan. in hæc verba: Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo; habent enim miracula, si intelligantur, linguam suam. Quid eadem miracula de Ecclesia Christi nobis enuncient, in præsentiarum audiemus; postquam pauca quædam de Miraculorum acceptione præmiserimus.



PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. Nomen Miraculi trifariam sumitur. 1. Latissime pro omni effectu raro mirabili, à quacunque causa profecto, sic D. August. Lib. de utilitate credendi cap. 16. miraculum, inquit, voco, quicquid arduum & insolitum supra spem & facultatem mirantis apparet. Sic quædam ex miraculis dicuntur Artis & Naturæ.

II. 2. Accipitur Miraculum strictius pro extraordinario opere Dei, licet naturæ vires non excedente, sive solus id efficiat, sive adhibita operâ creaturam præsertim Angelorum, dummodo consuetum ordinem divinæ providentiæ excedat, & speciali Dei potentia, vel imperio factum sit, sicuti loquela Asinæ Balaam Num. 22. v. 28. miraculis annumeratur, licet Angelus (Michael Hebræorum tutelaris, ut putant aliqui apud Trinum) Dei jussu Asinæ linguam moverit, & per eam voces articulatas efformaverit; sicuti dæmon movit os serpentis, ut loqueretur Evæ, Genes. 3. v. 1. aërem vicinum, quoad opus erat, collidendo, & sic supplendo, quod organis Bestiæ decrat, ut Abulens. & alij.

III. 3. Sumitur Miraculum strictissime pro opere supernaturali quod omnium creaturarum vires superat, & à solo Deo fieri potest sive quoad substantiam, sive quoad modum. Excedit autem, inquit D. Thom. 1. p. q. 105. art. 8. aliquid facultatem tripliciter; uno modo quantum ad substantiam facti, sicuti quod duo corpora sint simul, vel quod Sol retrocedat, vel quod corpus humanum

glorificetur, quod natura nullo modo facere potest; & ista tenent summum gradum in miraculis, 2. Excedit aliquid facultatem Naturæ non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicuti resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæci ac similia; potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo: & potest præstare visum, sed non in cæco. Et hæc tenent secundum locum in miraculis, 3. Excedit aliquid facultatem Naturæ, quantum ad modum & ordinem faciendi, sicut cum aliquis per virtutem divinam à Febri curatur absque consueto processu Naturæ in talibus, ut cum statim aër divinâ virtute in pluvias densatur, absque naturalibus causis, sicuti factum est ad preces Samuelis, & Eliæ. Et hæc tenent ultimum locum in miraculis.

IV. Controvertitur autem, in qua significatiōne nomen Miraculi in præsentī sumatur? Sunt qui contendunt in tertiâ significatiōne accipiendum, & in uno ex tribus modis à S. Thoma assignatis. Sed contra hos est. Tum quia in Veteri Testam. Elias 3. Reg. 28. v. 38. in testimonium veræ fidei ignem à Cælo evocavit, quod etiam diabolus potuit, & re ipsâ fecit Job. 1. v. 16. & sæpe per sagas præstitit. Tum quia in Novo Testamento Christus in verissimum & efficacissimum Divinitatis suæ testimonium à Patre accepit vocem de nube proclamantem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. v. 17. ac 2. Petri 1. v. 17. Et tamen ejusmodi verba etiam diabolus pronuntiare potuit. Ut taceam alia, & pleraque prodigia Moysis in Ægypto, vel deserto patrata, dæmonis potentiam non excessisse. Quapropter non videtur necessum esse ad probationem veræ fidei, proferre semper miracula strictissime sumpta juxta tertiâ significatiōnem, quæ non potuerint, nisi à Deo fieri, saltem eo modo, ut eadem descripsit S. Thomas, sed sufficere illa minus strictè in 2. acceptiōne; modo constet, re ipsâ à Deo processisse in testimonium alicujus veritatis vel particularis totius Fidei, id quod conijci potest vel ex circumstantiis, vel evidenti revelatione (quam vocant evidentiâ in Attestante) vel simplicitate, quando nulla dubitandi ratio aut suspicio diabolicæ fraudis occurrit, sed bonâ fide creditur esse opus divinum. His præmissis.

V. *Doctrina Prima.* Miracula sunt certa Nota veræ Fidei, & consequenter Ecclesiæ, quæ illam tenet. Ita omnes Catholici, ut testantur DD. à Walenburch. Tom. 2. fol. 184. Probatur 1. ex S. Script. Veteris Testam. Exodi. 4. cum Moyses in Ægyptum missus replicaret, populum sibi non crediturum, dedit ei potestatem faciendi miracula ad fidem comparandam. Et cap. 8. ex illis miraculis reipsâ perpetratis malefici veri Dei omnipotentiam ac mandatam agnoscentes dixerunt v. 19. *Digitus Dei est hic*: id est, potentia & virtus hic se prodit longè major omni nostrâ, & dæmonum magistrorum nostrorum virtute, nempe virtus solius Omnipotentis Dei, quâ nos præpedimur, & quasi ligamur. Ifajas 35. v. 4. & 5. agens de Salvatore vero, scil. Messia & Christo, ut intelligunt illum D. Athanasius, Hilarius, Justinus, Prosper & alij PP. apud Trinum pro certo signo illius dignoscendi posuit miracula: tunc, inquit, *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Atque huc ajunt iidem Patres respexisse Christum, quando interroganti Joanni: *tu es, qui*

*venturus es, an alium expectamus?* pro indubitato signum, quo se Messiam esse noverit, respondere justit: *cæci vident, claudi ambulant*, Matth. 11. v. 3. Porro cum Christus Matth. 10. Apostolos suos ad prædicandum Evangelium mitteret, dicendo v. 7. *euntes predicare dicentes: appropinquavit regnum Cælorum*, ad optatum effectum obtinendum dedit illis hoc unicum perpetrandum miraculorum signum, inquit versu sequenti: *infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate &c.* Isti autem, scribit Marcus cap. 16. v. 20. *predicaverunt ubique, Domino cooperante & sermone confirmante sequentibus signis.* Demum etiam in Scriptura passim Christus homines per miracula ad se fidemque suam traxit. Sic mulier Samaritana credidit, quia ipsi arcana cordis sui prophetice aperuit. Joan. 6. v. 18. & 19. Sic cæcus, quia illum illuminavit cum saliva & luto Joan. 9. v. 38. sic multi ex Judæis, quia præsentibus erant, cum Jesus Lazartum suscitaret à mortuis Joan. 11. v. 45. Sic discipuli universi, quia in Cana Galilææ Christus ex aqua vinum fecit Joan. 2. v. 11. sic multi alij in Jerusalem crediderunt in Christum, quia viderunt signa ejus, quæ faciebat ibid. v. 24.

VI. Ex his tria breviter advertenda. 1. Non obstante hoc, quod Christus doctrinam suam pluribus & ingentibus miraculis comprobavit, adhuc tamen necessarium eidem visum fuisse, ut Apostolis quoque similis patratorum miraculorum potestas conferretur. 2. Non ea solum miracula à Christo fuisse commemorata citatis locis Matth. & Marci, quæ nos supra in tertiâ acceptiōne: sed nonnulla etiam, quæ in secunda acceptiōne posuimus v.g. serpentes innoxie tollere, à mortifero haustu non lædi &c. quæ certè à Dæmone absolute fieri possunt, ne similia aliquando à Catholicis facta statim hæretici contemnerent, & aut diabolo, aut naturæ viribus ascriberent. 3. Prædictam potestatem non solum ad Apostolos, sed ad eorum etiam Successores pertinere, cum verba illa: *euntes predicare Evangelium*, non minus hos, quàm illos concernant, siquidem hætenus & ad finem usque mundi nec defuerunt unquam, nec deerunt Gentes, quibus Christi Fides prædicetur, & miraculis confirmetur.

VII. Probatur 2. Ex Auctoritate Patrum, qui miracula maximi faciunt, veluti indubitata veræ fidei testimonia S. Chrisostomus in c. 5. Joan. Homol. 39. sic scribit: *Ut Christus Judæos omnia venia indignos ostendat, addidit: ego habeo testimonium majus Joanne. quale? opera enim, inquit, que dedit mihi Pater, ut perficiam, ea ipsa opera, que ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit; hic Paralytici, & filij Reguli sanati & aliorum plurium meminit.* Nam diceret fortasse quispiam magnifica Joannis verba de JESU ad gratiam dicta (quamvis nec hujusmodi de Joanne viro optimo & tanta apud Judæos admirationis suspitio fieri posset) verum ut opera etiam insanis persuaderent, ideo eorum adduxit testimonium. S. Hieron. Epist. 13. ad Marcellam Martyrum, inquit, *utique sepulchra veneramur, & Sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus: & Monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existiment negligendum? si nobis non credimus, credamus saltem diabulo & angelis eius, qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt &c.* D. August. de utilitate credendi ad Honoratum contra Manich. cap. 17. sup. cit. *Cum igitur, ait, tantum ab-*  
xilium

xilium Dei, tantum profectum fructumque videmus, dubitabimus nos ejus Ecclesia condere gremio, qua usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam Miraculorum majestate damnantis (hæreses) culmen Auctoritatis obtinuit. Rursus contra Epistolam fundamenti cap. 4. scribit: multa sunt alia, quæ in ejus (Ecclesie) gremio iustissime tenent &c. Tenet Auctoritas Miraculis imbuta &c. plures Patres in hanc eandem sententiam fuse adducit Jacobus Keller in Papatu Catholico Tom. 1. à fol. 484. qui videri potest.

VIII. Probatur 3. Ratione. Si clarissime & indubitare constare possit, quod Controversa Fidei dogmata, & Religionis articuli alicuius Ecclesie per vera Miracula fuerint approbati & confirmati, tunc merito id cuilibet Sapienti viro argumentum esse debet, judicandi & affirmandi, hanc Ecclesiam, cujus articuli talem miraculosam habent attestacionem, esse verissimam Christi Ecclesiam. Sed clarissimum & indubitatum est, quod Ecclesie nostræ Romano-Catholica dogmata & Fidei articuli per vera ac luculenta miracula fuerint sic approbati, ac confirmati. Ergo hæc nostra Romano-Catholica Ecclesia est verissima, & salutifera Christi Ecclesia secundum iudicium cuiuslibet viri sapientis & æternæ salutis cupidi. Consequentia est bona. Minor patet tum ex dictis. Tum magis ex tota hac Controversa constabit. Probatur igitur Major. Si verum miraculum contingat in rebus fidei articulos & Religionis dogmata concernentibus non potest id provenire aliunde, quam à Deo veritatem rei per illud miraculum attestari volente; quippe falsitatem rei attestari non potest Deus, qui est ipsa Veritas; quapropter fieri nullo modo potest, ut dogma Fidei, vel Religionis articulus sit falsus, quem Deus per verum miraculum attestatur, probat, ac confirmat: aut ut falsa sit Ecclesia, quæ talia dogmata & Fidei articulos docet, & profiteretur. Hinc supra diximus ex D. Thoma, miraculum esse quoddam sigillum divinæ Auctoritatis. Et Hildebrandus Legatus Pontificius postea Papæ Gregorius VIII. in Concilio Gallicano miraculum vocavit *Divinitatis Oraculum*.

IX. Si denique veterum Historiarum monumenta revolvamus, reperiemus plurimas Gentes initio ad amplectendam Christi Fidem miraculis permotæ esse. Magdenburgenses Centuriatores in quavis centuria Captis 13, assignant ex Scriptoribus illorum temporum Miracula 7 & in quolibet sæculo reperiunt non pauca, quæ in confirmationem fidei Catholica facta sunt, ac nominatim de Confessione, Reliquiis, Imaginibus, Venerabili Sacramento Eucharistiæ, Papatu, Clericatu, Invocatione Sanctorum &c. Card. Bellarm. Lib. 4. de notis Ecclesie cap. 14. ostendit quoque ordine in singulis sæculis plura miracula perpetrata fuisse ad Fidem Catholicam inducendam & stabiliendam.

X. In Germania nostra S. Svibertus Episcopus à gentili Superstitione ad fidem Catholicam convertit Holandos, Brunsvicensis, Frisones, Westphalos, Colonienfes, aliosque Rheni Acolas, idque innumeris perpetratis miraculis, inter quæ fuit resuscitatio trium mortuorum, ut videre est apud Surium 1. Martij, & Spondanum Historiæ Eccles. Anno Christi 695. S. Bonifacius E-

piscopus & Martyr, cum Rex Rufforum polliceretur, se in sententiam ac fidem Catholicam iturum, si ipse rogos geminos, qui juncti flammæ sociabant, illæsus perambularet, acceptâ conditione ac pacto, utrumque; rogam à flammis illæsus pertransijt, & sic Regem & innumeram multitudinem ad Fidem Christianam transmisit, ut refert Surius 18. Junij ex Petro Dàmiani in vita Romualdi. Si recentiora loco tamen remotiora inspiciamus, Franciscus Xaverius è Societate Jesu Indiarum Apostolus innumeros Gentiles ad Christi fidem convertit, atque illorum decies centena millia suâ manu baptizavit, & quo medio? non alio magis, quam ingenti splendore plurium & maximorum miraculorum; etenim paralyticos, surdos, cecos, claudos, infirmos curavit, precibus mare exarmavit, exercitus superavit, & aliquot mortuos in vitam resuscitavit, ut fufius in ejus vita legitur. Dicere autem ac censere cum nominatis centuriatoribus Magdeburgicis, omnia hujusmodi Miracula fuisse vel ficta, vel operâ diaboli facta, & tot Gentes ac Populos extitisse stultos, quod ita seduci se permiserint, profectò non est verbum ac iudicium hominis sapientis, sed insani, diabolici, ac jurati hostis Religionis Catholice. Merito igitur S. August. loc. cit. dixit: *se in Ecclesia Catholica teneri Majestate Miraculorum*. Et Richard. de S. Victore, cujus supra etiam meminimus, jure fuit dicere ausus: *Domine si error est, quod credimus, à Te decepti sumus; etenim in Nobis ista ijs signis & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi à Te fieri potuerunt.*

XI. Porro cum diabolicæ præstigiæ miraculis perfimiles frequenter hominibus illudant. Quæstio movetur, quomodo vera miracula à falsis dignosci queant? Sætarij volunt, seposito examine ex Sacra Scriptura non posse cognosci, hæc esse vera miracula in confirmationem veræ Fidei ac Religionis à Deo facta. Ita nominatim Tobias Wagner in censura Motivorum Catholicorum D. Christophori Besoldi, ubi à fol. 306. sæpe id repetit, sed prorsus inscite ad inane estugium, 1. Quia ij, quos per miracula ad Christum & Catholicam fidem conversos diximus, tam Judæi quam Gentiles non prius instituerunt examen ex Scriptura; etiam isti nullam habuerunt: illi vero in doctrina Christi nondum erant informati, sed post fidem acceptam informari petierunt; quæro jam, an isti propter miracula recens conversi inde agnovissent Christum veramque Religionem, an non? Hoc posterius dici nequit: si ergo illud prius, apertè falsum est, seposito examine ex Scriptura veram Religionem agnosci non posse. 2. Quia adversatur doctrinæ Christi Judæos ad miracula sua ablegantis; ut ex his veritatem doctrinæ suæ agnoscant, non verò ex scriptura prius illa miracula examinent. 3. Quia miracula sunt effectus & signa veræ Ecclesie, veræ Fidei, veræ Scripturæ. Ergo necesse non est, hanc prius agnosci; cum enim lumen Naturæ dicet, solum Deum supra naturam aliquid operari posse, & decipere nequire, prudenter à posteriori conijcimus, Religionem, Fidem, ac Doctrinam miraculis confirmatam esse veram ac divinam, etiam si ei, qui miraculis movetur, nondum plane sit cognita; Interim non negandum, vicissim miracula à priori per veram Ecclesiam & Religionem tanquam effectus per causam postea agnosci & confirmari. Rejecto igitur hoc figmento.

XII. Do-

XII. *Doctrina Secunda.* Vera Miracula dignosci à falsis possunt per accuratam considerationem causarum, quæ cum sincera intentione, confidentia, & oratione ad Deum instituitur. Ita præter alios Catholicos Card. Bellarm. Lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 5. 1. Igitur attendendus Finistam operantis, quam operis; si enim iste ad superbiam, avaritiam, luxuriam collimet, meritò suspectus est. Unde sapienter August. Lib. 83. Quæst. q. 79. cum talia inquit faciunt magi, qualia nonnunquam sancti faciunt, talia quidem visibilibus apparent, sed diverso sine & diverso jure faciunt; illi enim faciunt quærentes gloriam suam; adde spem lucri vel aliam rei terrena vanitatem: isti quærentes gloriam Dei. 2. Attendenda Materia; si enim hæc est vana, inutilis, curiosa &c. non est credibile, Deum in ea extraordinariè fuisse occupatum, sed potius dæmonem. Item si miraculum versetur circa rem suadendam, quæ sit manifestè falsa, impia, luminis Naturæ, Traditioni Ecclesiæ, vel Sac. Script. (prout à Pauibus intellecta est) vel luculentis alijs miraculis repugnans, meritò dæmonis opus censetur. Hinc D. Ignatius Martyr Epist. ad Heronem scribit: *Omnis, qui dixerit præter illa, quæ tradita sunt, tametsi Fide dignus sit, tametsi jejumet, tametsi virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat in grege ovium.* 3. Attendenda causa Efficiens; nam si ineptis & superfluis ceremonijs efficiatur miraculum, facile est fraudem advertere; cum Deus talibus nugis non utatur. Quod si palam nihil tam ineptum ad veratur, omnia tamen clam sunt, vel coram paucis suspectis testibus, hoc ipso superstitionis suspicio gignitur, nisi perfecta vitæ innocentia suspicari vetet. Quando etiam Efficiens palam ob scelera capitalia infamis est, ejus mirabilia, quæ facit, meritò suspecta sunt; etsi enim Deus quandoq; etiam per malos operetur miracula Matth. 7. v. 22. ordinariè tamen utitur bonis, 4. Demum attendenda Forma; quia interdum res, quæ miraculum apparet, est vera, sed non est supra vires Naturæ, vel quoad substantiam, vel quoad modum, nec ex circumstantijs aut aliunde constat, re ipsâ processisse à Deo in testimonium alicujus veritatis.

XIII. Re sic per genera causarum ritè examinata, & viris doctis ac probis in consilium adhibitis, si homo sincero animo erga salutem suam, veramq; Religionem pro cognoscenda veritate auxilium cœlestè devotè invocet, Deus pro suâ Bonitate ac paternâ providentiâ non permittet, ut falso miraculo decipiatur, uti bene ait Cornel. à Lapide Exod. cap. 7. v. 22. Certè error, si quis cum omni hac cautela interveniat, non ipsius animæ nocebit, utpote invincibilis. Interim sapienter fecit Trid. Sess. 25. statuendo, ne nova miracula admittantur, nisi ab Episcopo examinata & probata; quantumvis hoc decretum non videatur plenè receptum, vel limitandum sit ad publicas conciones & libros, cum passim in templis nova miracula confestim picturis aut Scripturis expressa proponantur.

XIV. Pergit memoratus Tobias Wagner quærere, quis scire possit, Deum ad confirmationem veritatis fuisse miracula operatum, nisi prius Deum ac veritatè ex verbo Dei scripto noverit. Perinde inæpta est hæc quæstio, ac si sciscitaretur, quis scire possit, Imperatorem sigillum litteris appendisse ad illarum confirmationem, nisi prius ex Im-

peratoris verbis intellexerit, litteras illas esse veras. Utrique indubitatum Imperatoris sigillum est certum signum Imperatoris voluntatis. Sic Miracula sunt sigillum à Deo nostræ doctrinæ, appellum, quod à posteriore ducit ad agnitionem veritatis, non verò hanc præsupponit cognitam.

XV. Rectius quæratur, postquam de miraculo satis constat, quid determinatè significet, seu quid Deus per illud testimonium velit? Et quidem si expressè in certæ alicujus veritatis testimonium fuerit petitum miraculum v. g. ad probandam innocentiam, tum per se patet significatio; sicuti S. Chune Gundis apud S. Henricum Imperatorem castitatem suam infamatam probavit ardentem prunas innoxie calcando. Si verò nulla sit certæ rei testificatio petita, tunc Mens Dei investiganda his tribus maximè indicijs. 1. Media, quibus vel impetrata, vel patrata miracula sint, meritò à Deo censentur probari v. g. Invocatio Sanctorum, Reliquiæ, Agni Dei, Aqua Lustratio &c. 2. Si nullus alius finis miraculi appareat, quam alicujus certæ virtutis manifestatio, illa meritò à Deo intentata præsumitur; Si enim Deus & Naturâ nihil faciunt frustra, etiam in miraculis suum Deus habebit finem. Sic Longinus (quem ajunt Centurionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori & è cruce pendenti, & tumulo condito custodiæ causâ addita fuit) ex miraculoso Christi morientis clamore rectè conclusit, illum esse Filium Dei, intelligebat enim hunc clamorem non esse naturalem, sed miraculosum: nec apparebat, cur Deus id fecisset, nisi ad testandam morientis innocentiam, cui pro crimine imponebatur, quod Filium Dei se jactasset. 3. Si peculiaris fiducia in Sanctitate operantis ponatur, tum ipso miraculo videtur comprobari tam Sanctitas ejus, quam fides & doctrina ejusdem; sic Sarephana Mulier post suscitatum miraculose filium dixit Eliæ. 3. Reg. 17. v. 24. *Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Quod si interdum per impios aut infideles Deus operetur miracula, hæc non sunt ex fiducia Sanctitatis operantium, cui Deus minime patrocinaretur.

XVI. *Doctrina tertia.* Ecclesia Romano-Catholica semper floruit, atque etiamnum floret veris Miraculis veritatem ejusdem ac Sanctitatem demonstrantibus. Constat ex jam dictis, & universa Ecclesiastica Historia. Et quidem eandem Ecclesiam miraculis etiam circa ea ipsa dogmata, quæ cum Adversarijs hodie Controversa sunt, patratis admodum illustrem esse; puta 1. pro cultu Sacrarum Reliquiarum. 2. pro cultu Sacrarum Imaginum. 3. pro usu Signi Sanctæ Crucis. 4. pro cultu Sacrificij Missæ & Sacrissimæ Eucharistiæ. 5. pro cultu & invocatione Sanctorum &c. ex SS. Patribus alijsque dignissimis fide historicis copiose ostendit Jacobus Keller in Papatu Catholico. Tom. 1. à fol. 487. Videri etiam potest Tanner. Part. 2. Anatomie Confessi August. demonstrat. 9. §. 3. usque ad 9. Nostri temporibus, ut alios Sanctos taceam, S. Franciscus Xaverius ad Fidem Catholicam inter Indos & Japonas propagandam & confirmandam de mortuis ad vitam revocavit quinque supra viginti. Ostendant hæretici vel unicum infirmum, quem in Scetæ suæ confirmationem inharunt. Unde

XVII. *Doctrina quarta.* Nulla Ecclesia Sectariorum miraculorum Splendorem atq; attestationem habet

habet pro Secta & doctrina sua, sed omnes præcipuo hoc ornamento, & veritatis argumento destituta squalent, ideoque Ecclesie veræ non sunt, uti apertissime demonstrat iste discursus. Nulla Ecclesia, quæ in se divinorum miraculorum est penitus expertes, & aliena ab Ecclesia illa, quæ divinis miraculis etiam circa controversa cum Sectarijs dogmata editis insigniter coruscant, est vera Christi Ecclesie. Atqui omnes & singulæ sectariorum Ecclesie miraculorum divinorum in se penitus sunt expertes, atque alienæ ab Ecclesia illa (scilicet Romano-Catholica), quæ hujusmodi miraculis coruscant. Ergo non sunt vera Christi Ecclesia.

XVIII. Major patet tum ex dictis, tum ex illo Christi Joan. 14. v. 12. *amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quod in eundem sensum accipiendum est, quo Lutherus Tom. 2. Genesi Germanico fol. 140. ad Senatum Müllhufanum ita scribit: In-chylus Senatus vocet Thomam Münzer ad se, & si fieri potest, ad totam Communitatem, & querat ex eo, quis ipsum ad predicandum miserit, aut vocaverit? si dicat à Deo, & Spiritu hujus se fuisse missum, sicut olim Apostoli, probet hoc signis & miraculis. Nam quando Deus ordinarium modum immutare vult, semper simul miracula operatur. Item Melanchthon in cap. 3. Matth. Sic postea sæpe, quando mundus fere fuit oblitus doctrinam & promissionem Evangelij, tunc vocavit novos Doctores; uti post Noë & Sem vocavit Abraham, deinde Joseph, postea Moysen, Samuel, Eliam, & alios. Sic quando jam magna tenebræ erant, Deus vocavit Joannem & semper addidit Deus miracula; ut certo sciamus, esse à Deo missos. Idem Joannes magno miraculo nascitur ex matre sterili & anu &c. Unde constat juxta S. Scripturam ex mente etiam Adversariorum, veram Christi Ecclesiam esse non posse, quæ miraculis non splendet, si præcipue & recens sit, & contraria alteri Ecclesie antiquæ ac miraculis perillustri, qualis est Romano-Catholica.*

XX. Minor, nulla scilicet apud Sectarios esse miracula, per se clara est, & testantur historiae. Speciatim quam infelicitè Lutherus attentavit eicere dæmonem Wittenbergæ Anno 1545. ex puella quadam è ditione Müllinæ adductâ, scribit oculus testis Fridericus Staphilus absolutæ Responsionis P. 1. & ex illo refert Keller Tom. 1. citi fol. 493. De Calvini impudentiori, sed & infelicitiori ausu simile quid testatur Hieron. Bolsenus in vita Calv. c. 13. Nimirum heretici, ut jam olim scripsit Irenæus Lib. 2. c. 26. neque cæcis possunt dare visum, nec scurdis auditum, neque dæmones fugare præter eos, qui ab ipsis immittuntur; sitamen & hoc faciunt, nec debiles aut claudos aut paralyticos curare, vel aliâ quâdam parte corporis vexatos; tantum absunt, ut mortuum excitent. Similia his habet Tertul. de Præscript. c. 30. Ut proinde non immeritò Erasimus in Diatribe de Libero arbitrio hoc ipsum Luthero exprobravit hisce verbis: *Apostolis, quoniam excutiebant viperas, sanabant egrotos, excitabant mortuos impositâ manu dabant dona linguarum, ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum juxta communio opinionem afferant paradoxa, nullius illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum curare possit.*

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HÆRETICORUM.

XXI. **E**rror Primus tam Lutheranorum apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 931. quam Calvinistarum apud Amesium Tom. 2. fol. 69. Miracula non esse genuinam, & infallibilis Ecclesie Notam. Probant 1. Ex S. Script. attestante, Antichristum una cum suis Pseudoprophets multa ac stupenda prodigia facturum. Ad quem maxime respiciens Christus Matth. 24. v. 24. *Surgente inquit, Pseudo-Christi & Pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et D. Paulus 2. Ad Thess. 2. v. 8. sic scribens: *revelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui, cuius est adventus secundum operationem Satane in omni virtute, & signis, prodigijsq; mendacibus. Magis eundem exprimit Joan. Apoc. cap. 13. ubi affirmat v. 3. Antichristum simulaturum, se mortuum & resurrecturum v. 13. illam evocarum ignem de Cælo v. 15. eundem facturum statuam loquentem.*

XXII. Probatum 2. ex Patribus S. Justinus ad quæstionem Catholicam ait: *Virtutum: (id est miraculorum) representatio si probatio & iudicium esse vera Religionis, minime gentium Dominus eos reprobasset, qui dixerunt: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus &c.* Laëtantius Lib. 5. Instit. cap. 3. *discite, si quid tibi cordis est, non idcirco à nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta omnia, quæ nobis annunciata sunt vaticinio Prophetarum.* Chrylost. Hom. 23. in Ionam: *nonne & nunc quoq; signorum petitio tentativa est? sunt sanè & hæc nostrâ ætate, qui querunt, quare & nunc signa non fiant? si fidelis es, si diligis Christum, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur.* Similia habet Gregor. Hom. 29. in Evangelica ajens, *Miracula in exordio Ecclesie fuisse necessaria, sicuti arbutis recens plantatis aqua tam diu solum affundi solet, dum in terram coalescant.* Tertul. Lib. 3. contra Marcionem dicentem, Christum miraculis se probasse, ita differit. *Nego solam hanc illi speciem competisse, quam & ipse postmodum exauctoravit; siquidem edicens, multos venturos & signa facturos, nec ideo tamen admittendos, temerariam signorum & virtutum fidem ostendit, ut etiam apud Pseudochristos facillimam.* Et Lib. de Præscript. c. 44. *adijiciam multa de auctoritate cujusq; doctoris hæretici, illum mortuos suscitasse, debiles reformasse, quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui virtutes maximas ederent.* S. August. de unitate Ecclesie cap. 16. sic scribit contra Donatistas: *demonstrent, si possint non in conciliis suorum Episcoporum, non in libris quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigijs fallacibus; quia etiam contra ista verba Domini preparati & cavi rediti sumus, sed in præscripto Legis. Et mox: non dicat (Donatista) ideo verum est, quia ista & ista mirabilia facit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius: aut quia homines ad memoriam mortuorum nostrorum orant, & exaudiuntur &c. aut enim non sunt verâ, quæ dicuntur, aut si hereticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus. Hic ovant Sectarij quæritantes, an ovum tam simile sit ovo, sicuti Papiæ Mirabilarij Donatistis tempore S. Augustini? & sic crimen hæretici retorsisse se opinantur.*

T

XXIII, Pro-

XXIII. Probant 3. Rationibus. Primam desumunt ab experientia. Nam constat, inquit, Ethnicos, & Hæreticos sæpe miracula fecisse, ut concedunt S. Justinus Quæst. 2. orthodoxa. S. Irenæus Lib. 2. c. 5. & August. Lib. octoginta trium Quæst. q. 79. Chrysostr. Hieron. Eutyrius, Theophylactus. apud Maldonatin Matth. 7. v. 22. quibus & ipse subscribit; & Salmeron. Tom. 6. Tract. 2. atque alij. Sic Baalam Num. 24. v. 24. multa vera prædixit. Decem Sybillæ multa verè prophetarunt, & tamen fuerunt Ethnica, vel Sægæ, ut testantur Ambrosius, & August. apud Theophilum Reinaudum in Theol. Naturali fol. 571. Vespasianus Imperator Ethnicus cœcum illuminavit, & claudum erexit, teste Suetonio. Hæretici Montanistæ futura prædicebant apud Baronium Tom. 2. fol. 190. Macedoniani Arborem ex uno loco in alium transtulerunt, & mutum loqui fecerunt apud eundem Baron. Tom. 3. fol. 663. Albigenes supra mare ambulârunt apud Bzovium Anno Christi 1210. num. 10. Ergo miracula non sunt Notæ veræ fidei, cum etiam Infidelibus conveniant.

XXIV. Secundam depromunt à varijs miraculorum eventibus. Nam, inquit, in Papatu nimis cumulantur Miracula: nimis sunt recentia ac nova: nimis sunt ludicra: falsis nituntur opinionibus quasi facta fuissent in confirmationem Missæ, Invocationis Sanctorum &c. multiplices fraudes continent: constant dubijs fundamentis, & incertis relationibus: referuntur patrata in longinquis locis, ut veritas indagari nequeat: naturales effectus censentur miraculosi. Ita post alios Prædicantes Tobias Wagner in Censuris Catholicorum motivorum Christophori Befold. à fol. 339.

XXV. Tertiam rationem accipiunt ex debilitate Miraculorum ad persuadendam fidem. In primis dicunt: ubi falsa est doctrina; ibi non sunt vera miracula; quæ suadere illam valeant. Apud Papistas falsa est Doctrina. Ergo non sunt apud eos vera miracula, quæ suadere illam valeant. Deinde qui non credit Scripturæ, nec miraculis credit, teste Christo Luc. 16. v. 31. *Si Moyses & Prophetas non audiant, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ergo frustranea sunt miracula præter Scripturam. Demum si miracula certam fidem possunt gignere, præcipuè dæmonibus illam genuissent, quibus perspectissima sunt miracula, cum certò sciant, quousq; virtutes creaturarum se extendant, & quid earum vires superet. Et tamen non crediderunt, Christum esse Deum post tot ejus miracula, sed tantum conjecturaliter suspicati sunt, ut docet D. Thom. 3. P. q. 44. art. 1. ad 2. cum Beda, & alijs.

XXVI. Errorem hunc validè rejiciunt S. Scripturæ, & Patrum testimonia, ac rationum momenta in priori parte allata. Nunc quærere lubet ex adversarijs, utrum miracula, quæ fiunt in Romano-Catholica Ecclesia, fiant à diabolo, vel à Deo? Si dicant prius; mirum sanè, & incredibile jure videri potest, cur Deus in sola Romano-Catholica Ecclesia, & non in ulla aliâ secta dæmonem miracula operari permittat. Si dicunt posteriorius; cur idem Deus non potius in Ecclesia Luthæra aut Calviniana in confirmationem attentatæ Reformationis fieri miracula sinat, sicuti semper in hujusmodi mutatione accidit? *quando novum aliquid fit*, ait Chrysostr. hom. 4. in Matth. *aut inopi-*

*natum, aut politia, cujusdam introductio, signa Deus facere consuevit; præstans quadam pignora potentia sua ipsi, qui legem suam sunt accepturi.*

XXVII. Cum igitur Deo Optimo Maximo sic placuerit, ut Fidei dogmata, à quibus æterna hominum salus dependet, comunitè non unicuiq; immediatè revelarentur, sed unus ab altero de illis instrueretur ad Rom. 10. v. 17: non autem cuilibet fidendum sit, Ecclesiast. 19. v. 4. ut ne in tanti momenti erretur, morali quâdam evidentia constare prius debet; hunc vel illum verè esse Verbi divini Prædicatorem, nec sanâ ratione rejici posse. Verùm fieri istud nequit, si Prædicator reale testimonium non habeat; hoc est; ita re ipsâ Divinitatem doctrinæ suæ attestatam non faciat, ut ad prædictam securitatem & prudentem resolutionem requiri plus nequeat. Et quidem si Præco ille sit primus prædictæ doctrinæ, ipsemet tale testimonium exhibeat oportet; si verò non sit primus; alius saltem ejusdem doctrinæ assertor illud præstiterit, necesse est; quod testimonium constat rebus, & signis ita doctrinam ejusquæ prædicationem comitantibus, ut aliquid divini in se ostendant, idquæ in doctrina etiam prodant; ad quem modum, ut diximus, Moyses & Christus doctrinas suas miraculis conspicuas fecerunt, atq; Ecclesia Romano-Catholica etiamnum hodie facit. Hoc cum minimè valeant hæretici nostrates, miracula omnia veluti meras diabolicas præstigias proclamant, damnant, & execrantur; nec mirum, cum id olim jam fecerint Eunomius hæresiarcha apud Spondanum in Hist. Ecclesiastica Anno Christi 360. & Vigilantius Anno Christi 406. atque Gentiles inde Christianos vocaverint Veneficos, ut videre est apud eundem Spondanum & Baron. Anno Christi 202.

XXVIII. Respondetur ad 1. Probationem ex S. Scriptura, dolendum esse à Christianis promissa à Christo Miracula comparari diabolicis Antichristi operibus! promissine Christus Fidelibus suis miracula mendacia, quod Antichristi præstigijs sumillima affirmantur? Nam talia mendacia signa vocat Apostol. 2. ad Thesal. 2. v. 10. prodigia Antichristi; scilicet simulatam illam resurrectionem, missionem ignis de cœlo; statuz locutionem &c. Equidem verissimum est, signis falsorum prophetarum non esse credendum, attamen ubi non est defectus sinceri cordis, confidentiæ & orationis ad Deum; tandem falsitas deprehenditur, ac manifestatur; nec diabolus ita in Angelum lucis transfigurare se potest, quin pes hirci deprehendatur, si accuratè advertatur; id quod exigit Dei Bonitas & Fidelitas, de qua securos nos vult Apostolus 1. ad Corinth. 10. v. 13. *ajens: fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentare supra id, quod potestis; foret autem tentatio supra id, quod potest homo, si fraudem diaboli deprehendere non posset.* Hinc Christus Matth. 24. etsi prædicat; miraculis Antichristi etiam Electos vehementer sollicitandos, addit tamen fore; ut Antichristus non valeat illos decipere, & in errorem inducere; quia scilicet per divinum auxilium illa Antichristi ut ut magna quoad apparentiam prodigia à veris miraculis (qualia tunc etiam Elias & Enoch patrabunt) internoscere ac distinguere poterunt.

XXIX. Respondetur ad 2. Probationem ex Patribus. Librum allegatum quinq; Quæstionum Gentibus à Christianis propositarum non esse D. Justinus, ut notat Card. Bellarm. de Script. Eccles. V. Justinus;

V. Justinus; quia in eo frequens fit mentio Manichæorum, quos post mortem Justini exortos esse constat. Vide Chronolog. ejusdem Bellarm. Ad do non sequi: miracula sunt certa veræ fidei argumenta. Ergo nemo eorum patrator damnatur; si quidem malis moribus damnationem promereri potest. Unde Argumentatio ista vilior est, quam quæ tanto Viro ascribi possit.

XXX. Lactantius rectè ait, non ideo præcisè Christum pro Deo habendum, quod miracula fecerit; cum multi, qui non fuerunt Di, miracula patrarent; sed quod talia miracula fecerit, qualia Prophetæ prædixerunt, Filium Dei facturum esse.

XXXI. S. Chrysostomus plus non dicit, quam fidelem & verum Christi amatorem non desiderare aut querere debere signa; quod ipsum & nos dicimus. Cæterum S. Pater nec unico verbo innuit, miracula in Ecclesia Catholica vel cessasse, vel tollenda, vel non divina censenda esse; imò contrarium in Orat. contra Gentiles, & de S. Babylæ Martyre expressè scribit, his verbis: *atq. quod vetera ea (miracula) quæ nos auditu percepimus, non minore fide digna sint, quam quæ præsentia sunt, & quæ ipsi videmus, id certe omnes fatentur, nisi qui forte stupidi, ac delirantes fuerint. Verum ut victoriam etiam velut ex superioribus facultatibus reportemus, volo & memoria vestra novum & inopinatum facinus proferre.* Et mox varia nova miracula recenset, præsertim quæ ad S. Babylæ Martyris reliquias acciderunt.

XXXII. S. Gregorius in Lib. Dialog. varia miracula recenset; unde Adversarij patrocinari non potest. Per similitudinem igitur arbutularum nihil aliud vult, quam sicuti istis adhuc teneris frequenter aqua affunditur, non verò iisdem jam radicatis: ita crebra fieri miracula debuisse in exordio Ecclesiæ, non post longiorem hujus profectum; interim non negat, aliqua adhuc miracula patrari, & necessaria esse ad confirmationem & conservationem Fidei; quantumvis nonnulla v.g. donum linguarum cessarint; sicuti etiam arbutula jam radicata cœli pluvij adhuc indigent, ne arefiant.

XXXIII. Tertullianus signa & virtutes latè sumptit pro omnibus mirabilibus à quocunque factis; in quem modum etiam explicari potest S. Augustinus loco citato; sed quia Adversarij D. Augustinum vehementius urgent, non ignorantes Tertulliani auctoritatem non esse tantam, cum à verâ fide ad hæresim Montani defecerit.

XXXV. Idcirco adverto, S. Augustinum, cum probè sciret, Donatistas non solum admittere S. Scripturam, ut Verbum DEI, sed etiam putare, ex illa suos probari errores, omnia alia argumenta atque ipsa etiam Miracula seposuisse, & ex solâ Sac. Scriptura contra ipsos disputare voluisse. Atque hæc fundamentalis est ratio, cur cap. 18. & 19. nolit, ut Donatistæ ad ullum miraculum se referant, eique inhæreant; quam ob causam ipsemet etiam miracula in Ecclesia Catholica facta seponit ajens: *Quia nec nos propterea dicimus, credi nobis oportere, quod in Ecclesia Christi finis &c. quia per totum orbem in locis Sanctis; quæ frequentat nostra communitio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitarum sunt &c. quæ verba insuper Adversarijs nostris adversantur, cum S. Pater testetur, tunc temporis per totum orbem magna miracula in Sanctis locis facta fuisse, quantumvis nunc non illis, sed Soli Sac. Scripturæ insistant. Adhæc S.*

Augustinus disputat ad hominem, nempe cum illis, qui verè fideles, & ferventes in Fide ac Religione se jactabant; tales autem non credunt propter miracula, sed propter verbum DEI juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 14. v. 22. *Lingue in signum sunt Infidelibus, non Fidelibus*, ut nos supra declaravimus. Quapropter S. Pater paulò post ita scribit: *Quocumq. talia sunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica Ecclesia sunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ipsa fiunt.* Quamvis enim Ecclesiam veram à posteriori monstremus per miracula, quo modò Deus infideles ad fidem vocare aut dubios in ea confirmare solet, vicissim tamen ab Ecclesia vera miracula quasi à priori approbantur & confirmantur, ut itidem supra jam diximus. Dicunt Adversarij, S. Augustinum contra Epist. fundam. cap. 4. Miracula aliæque signa seponere velle, si veritas tam clarè demonstraretur, ut in dubium venire non possit. Bene facit S. Pater. Nam signa dantur, ut ad veritatem perveniatur, quam designant, ideoque vocantur motiva credendi objectum fidei evidenter credibile facientia; plurius autem fit veritas, quam signa, cum hæc ad illam ordinentur. Si igitur veritas tam clarè demonstraretur, ut in dubium venire non possit, quid opus est signis? At scire ex Adversarijs velim, demonstrare possit veritas mysteriorum Fidei, ut in dubium venire non possit; Neutiquam. Siquidem Mysteria fidei nobis proponuntur quasi per speculum in enigmate 1. Cor. 13. v. 12. Videantur DD. à Wallenburch Tom. 1. fol. 185. Nihil igitur penitus, vel ex S. Augustino vel alijs PP. asserere Sectarij possunt, quod Miraculis adversetur, inhæretque illis fixum hæreticorum crimen, quod ne quicquam retroquere in nos fuerunt conati.

XXXVI. Respondetur ad 3. probationem ex Rationibus. Ad 1. ab experientia sumptam, non omnia esse vera miracula, quæ Ethnici Scriptores tradiderunt, multaque ab eis fuisse conficta, ostendit Baronius & ex hoc Spondan. Anno Christi 71. num. 6. Quod si verè talia sint facta ab Infidelibus, qualia narrantur, ea plerumque non fuerunt vera miracula, sed dæmonum præstigiæ; siquidem nullum superavit vires dæmonum, quin per motum localem, vel applicationem aliarum causarum effici potuerint. Quemadmodum igitur prodigia Antichristi, ita Albigenium aliorumque hæreticorum, & Vespasiani Imperatoris mirabilia non exceperunt vires dæmonum. Unde & Tertull. apud Bellarm. cap. 14. cit. *Credibile, ait, morbum illum totum fuisse à diabolo, qui insidens in oculo unius, & alterius tibia impediebat usum eorum membrorum, idq. eo sine, ut videretur sanare, cum desineret nocere.* Scilicet ad præsentiam Vespasiani. Atque hæc fraus tam apud Gentiles quam Hæreticos deprehendi facile potuit ex impijs & evidenter falsis eorum dogmatibus.

XXXVII. Albigenes inter cætera asseruerunt, duos Deos existere, & alterum bonum, malum alterum; illum bonum invisibilia tantum & ea, quæ mutari & corrumpi nequeunt, condidisse: istum malum fecisse Cælum, Terram, & alia visibilia; quo errore (ut alios taceam, qui videri possunt apud Card. Baron. Anno Christi 176.) cum nihil sit absurdius, quàm sanæ rationis capax sibi persuadebit, illum vero miraculo stabiliri, & operatione supernaturali confirmari à Deo posse. Nam Deus pro paterna sua Providen-

ria non permittit dæmonibus aliam præstigiariam operationem, nisi ex opposito mittat alios fideles ac bonos, qui veris & majoribus miraculis veram fidem, doctrinam, ac Religionem tueantur; sicuti hæcenus in Ecclesia Catholica semper Sanctissimi viri extiterunt, qui ingentibus prodigijs in confirmationem Catholicæ Fidei Infidelibus ac Hæreticis se opposuerunt, quod ipsum ad finem mundi facient Elias & Enoch ex paradiso evocari, & multò majora miracula patrarent quàm Antichristus, ut testatur S. Joannes in Apoc. cap. 11. v. 3. Unde etiam absolute falsum, quod Adversarij nostri passim dicunt, apud Gentiles quoad apparentiam tam magna fieri miracula, quàm apud Catholicos. Nam in præstigijs diabolicis externa apparentia nunquam tam grandis est, quin intentus in Deum oculus fraudem non advertat. Taceo secundùm externam etiam Speciem hujusmodi prodigia cum veris nostris miraculis comparari non posse; ut expresse docet S. August. Lib. 10. de civit. Dei cap. 16. ubi inter alia dicit: *Hæc ergò atque alia hujusmodi nequaquam illis, quæ in populo Dei legimus, virtute ac magnitudine comparanda sunt*; perinde ut in Ægypto præstigiæ Magorum comparari nequiverunt prodigijs Moysis, ut tandem Magi victos se faterentur Exod. 18. v. 19.

XXXVIII. Si quando per Infideles facta sint miracula vera, ut vaticinia Balaam, & Sybillarum, ea non fuerunt directa in testimonium alicujus falsitatis, sed veritatis; etenim Balaam & Sybillæ pulcherrima de Christo prophetarunt, non de suis Idolis. Similiter quando Julianus Apostata, ut refert Baronius Anno Christi 351. Dæmonij apparentiæ terribus signo Crucis in fronte expresso omnes confestim fugavit. Item quando Turca vel Hæreticus aliquis per idem Signum Crucis vel Agnum Dei aut alia Catholicis consueta media miracula fecit, id potius cedit in confirmationem nostræ Religionis, quàm Gentilissimi Paganissimi aut Hæresicos.

XXXIX. Ad 2. Rationem ex varijs Miraculorum defectibus depromptam, nullum reverà ostendi, probarique defectum in miraculis nostris. Non 1. Quod nimis cumulentur miracula. Nam si Adversarij omnes Bibliothecas perlustrent, per paucos libros invenient; qui de miraculis scribunt. Impudens ergo calumnia est, præ multitudine horum non æstimanda esse Miracula Christi, de quibus Ioan. 21. v. 30. dicitur: *Multa alia (signa) fecit JESUS, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse.* Adhæc etsi à tempore Christi plura signa in universa Dei Ecclesia per orbem diffusa contigissent, apud nullam tamen Nationem in specie tot facta fuerunt, quàm à Christo in Judæa, & vicinis locis. Et si illud etiam evenisset, quid honori Christi vel veritati Sac. Scripturæ derogaret? Interim constat, gratiam linguarum, & alia miraculosa dona non nisi rarissime concedi, quæ in prima Ecclesia frequenter fuerunt communicata; nisi solita essent, mira non essent, ut notat S. August. de utilit. cred. cap. 16.

XL. Non 2. Quod Miracula nostra sint recentia ac nova. Nam hoc vel intelligunt Adversarij de tempore, quo contigerunt miracula, vel de doctrina, quam confirmarunt. Primam nec speciem habet veritatis; quia etiam miracula Christi, Apostolorum ac Martyrum fuerunt nova,

quando contigerunt. Alterum est quoque merum hæreticorum figmentum; quippe sæpe jam est demonstratum, non aliam esse doctrinam Apostolicam, quàm ipsius Romano-Catholicæ Ecclesiæ, uti Apostolorum Interpretes, & Ecclesiæ Christi Notarij, nempe antiqui Patres unanimiter testantur. Et hæc doctrinam innumeri Martyres, Papæ, Episcopi & Religiosi tenuerunt, vitamque suam juxta illam Sanctè instituerunt, ac tum olim, tum etiamnum ingentia miracula confirmaverunt. Si ajunt Adversarij, illam doctrinam esse novam, quæ lapidem Lydium, nempe Scripturam, non patitur, turpem committunt petitionem principij, & hæreticam suam obstinationem in falsitate ostendunt. Taceo, quod sæpe jam diximus, lapidem lydium, id est, S. Scripturam pati omnia dogmata Fidei in Romano-Catholica Ecclesia, hoc ipsè quod nullum ex his sit illi contrarium.

XLI. Non 3. Quod Miracula nostra nimis sint vilia. Nam majorem partem miraculorum esse ludicram, nemo sapiens luridis Prædicantibus credit. Et sanè, si Dialogi S. Gregorij M. censi debent ludiri, paulatim etiam Adversarij ludicra videbuntur, quæ Scriptura Sacra narrat de aino conquerente contra verbera Balaam. Num. 23. de Lagenis & hydrijs confRACTIS Gedeonis Judicum 8. de Samsonis vulpibus, maxilla Asini, septem crinibus ibidem cap. 14. 15. 16. & similibus. Ex quibus potius discant hæretici, Deum in vilibus etiam ac exiguis rebus suam magnam Providentiam ac Potentiam ostendere. Quod aliqua ex miraculis apud severum examen veritate destituantur, non negaverim; sed istorum nec tam multa sunt, uti Adversarij volunt, nec illis nos indigemus; siquidem abunde habemus talia, in quibus digitus Dei evidenter appareat, & quæ à nullo sanæ rationis homine suspecta haberi possunt. Cujusmodi sunt, quæ Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, alique Patres, & fide dignissimi Historici annotarunt: item quæ non solum in Martyrologio Ecclesiæ universalis, sed etiam in particularium Actis post accuratum examen à Triid. Concilio Sess. 25. præscriptum continentur.

XLII. Non 4. quod falsis nitantur Opinioni- bus, quasi facta fuissent in confirmationem Papatûs, Missæ, Invocationis Sanctorum &c. Nam duobus modis intelli potest; omnia miracula, quorum antiqui Patres recens nominati meminerunt, fieri ad confirmationem Papatûs, hoc est, Invocationis Sanctorum, Cultûs Imaginum, Sacrificij Missæ, &c. 1. Directè, Expresse, & in specie. Et sic nemo Catholicus unquam asseruit, Miracula antiquitus facta ad confirmationem S.S. Trinitatis, Incarnationis &c. spectasse ad Dogmata Pontificatûs de Sacrificio Missæ. Invocatione Sanctorum &c. 2. Indirectè & per Consequens. Et sic concedimus, per prædicta Miracula pro Trinitate, Incarnatione, Baptismo &c. confirmatam fuisse fidem Papatûs, de Sacrificio Missæ &c. quia illi, per quos patrata sunt miracula circa Trinitatem &c. crediderunt etiam omnia alia Ecclesiæ Romano-Catholicæ dogmata de Sacrificio Missæ &c. Cum igitur vera fides omne id complectatur, quod à Deo est revelatum; Antiqui autem Patres crediderunt nostræ etiam Romano-Catholicæ Ecclesiæ dogmata divinà Revelationis

latione niti, sequitur planè, si Deus directè articulos fidei de Sacrosancta Trinitate, Incarnatione, Bap̄tismo &c. per miracula confirmarit, eundem indirectè & per Consequens omnes alios fidei nostræ articulos simul approbasse.

XLIII. Non 5. Quod multiplices fraudes contingant. Nam hoc veris Miraculis & Romanæ Ecclesiæ Auctoritati tam parùm derogat, quàm falsæ monetæ, & harum falsificatores demunt aliquid valoris & æstimationis veris ex puro auro & argento Nummis, ac Magistratui, qui justas monetas eudi præcipit, & falsificatores illarum gravissimè punit. Hoc ipsum facit Ecclesia; vera miracula approbat: falsa verò eorumque Auctores rejicit, ac damnat.

XLIV. Non 6. Quod constent dubijs fundamentis, & incertis relationibus. Nam tantum numerum Miraculorum indubitatis testimonijs & testibus approbatorum asserere possumus, ut incertà addicere minimè cogamur. Sed, inquit Adversarij, gravissimi etiam viri falli possunt. At verò fidelis Dei Providentia non permittet, ut, qui sincero corde in eum confidunt, devotèque ipsum invocant præsertim superiores & Doctores Ecclesiæ vel universim vel gravitèr ad seductionem Fidelium decipiantur. Aut enim fraus tandem innotescet, si gravis sit: aut substantiæ rei nihil derogabit, si levis sit. Et licet testimonia Auctorum non sint verbum Dei, ita tamen circumstantiæ rerum & personarum se prodent, ut moralem æcrtitudinem pariant, & nullum rationabili dubio locum relinquant.

XLV. Non 7. Quod dicantur in locis remotissimis patrata, ubi indagari nequeant. Nam viris sinceri cordi est, ut tam longinquè, quàm proximè in rebus præsertim ad Religionem & Animarum salutem spectantibus veritati unicè studeant; quod imprimis facit Romana Ecclesia in inquirendis miraculis, quæ Sanctus Franciscus Xaverius in India, & Japonia per divinam opem patravit, nec nisi post aliquot annos accurate omnibus expensis ad Sancti hujus viri Canonizationem processit.

XLVI. Non denique 8. Quod naturales effectus censeantur miraculosi. Nam si error sit, veros quosdam effectus à Catholicis haberi miraculosos, qui, ut ut aliàs inopinati & naturales, ex peculiari tamen divina providentiâ evenerunt, multa Christi & Apostolorum miracula enervantur, & in dubium trahuntur; quando enim infirmos curant, cæcos illuminant; surdis auditum reparant, faciliè cogitari dicique poterat, effectus hos esse quidem inopinatos & mirabiles: at naturales eventus. Tenendum igitur, quod supra diximus, ad miraculum non necessariò requiri, ut vel quoad substantiam, vel ratione subjecti naturam transcendat, sed sufficere, si ratione modi & ordinis divinam virtutem manifestet &c. Sic liberatio foetûs Petri à febre Luc. 4. v. 38. Piscatio Petri Luc. 5. v. 6. quæ naturaliter evenire potuissent, miraculosæ tamen sunt quoad modum vel ordinem divinæ providentiæ, & conformiter Sac. Scripturæ ut tales haberi debent.

XLVII. Ad 3. Rationem ex debilitate miraculorum ad fidem persuadendam acceptam. In primis syllogismus allatus est proferus impertinens. Adversarijs probandum erat, vera miracula non esse signa veræ Ecclesiæ; hoc misso, pugnant contra signa falsæ doctrinæ. Signa ad pro-

bandam falsam doctrinam non pervenire à Deo ultro fatemur; At veram doctrinam Ecclesiæ non habere à Deo vera & miraculosa testimonia, hoc probent Adversarij. Nam contrarium Nos cum Majoribus nostris totaque Antiquitate affirmamus. Adhæc longè falsissimum est, Ecclesiam Romano-Catholicam habere falsam doctrinam, quod Prædicantes tam dolose, quàm stolidè supponunt, nunquam probaturi in æternum.

XLVIII. Deinde dictum Christi Luc. 17. *Si Moysen & Prophetas non audierint &c.* non universim accipiendum est de omnibus articulis fidei, sed tantum de illis, qui clarè continentur in Scripturis, & apud eos, qui recipiunt Scripturam, quales fuerunt fratres Epulonis, utique omnes Judæi; etenim hujusmodi vitiorum damnatio clarè in Sac. Scriptura continebatur, & facilius erat explodere hujusmodi apparitionem, atque eam vel phantasiæ, vel dæmoni adscribere, quàm rejicere Scripturam pro verbo Dei agnitam. Nonne Lazarus alter Joan. 11. v. 44. Nonne Christus ipse à mortuis fuit redivivus? an illis crediderunt Judæi? unde meritò omni mortuorum apparitioni Sac. Scriptura præfertur tanquam certior testis Tormentorum Inferni, cujus Auctoritas, utpote divina, atque ut talis cognita, elevari, aut refelli non potest.

XLIX. Denique dæmones ex oraculis Prophetarum, & ex tot signis, quæ partim in Nativitate, partim in Baptismo Christi, & post hunc viderunt, probè noverunt Jesum esse Messiam, sed an naturalis Filius: an solum adoptivus per excellentiam, adeoq; de Divinitate hærebant; quamvis enim sæpius appellatus fuerit Filius Dei, nescierunt tamen, an Nomen Dei propriè sumeretur, an improprie, ut alibi de Iudicibus dictum. Psal. 82. v. 6. *ego dixi, dij estis, & Filij excelsi omnes;* sicuti allegavit Christus Joan. 20. v. 34.

L. Error Secundus, Lutheranos quoq; & Calvinianos habere miracula, & quidem multò majora pro fide sua, magnum scilicet & admirabile opus Reformationis, quod Prædicantes passim propter miraculorum in eo & multitudinem & magnitudinem supra Cælum extollunt. Nam, inquit, tot millia Papistarum tam citò in partes Lutheri & Calvini tractos fuisse, depositis antiquissimis persuasionibus id multò majoris miraculum est, quàm omnes morborum curationes, vel etiam mortuorum suscitationes, etiam judicio Joannis Cassiani Collat. 15. cap. 8. affirmantis, *revera majus miraculum esse de propria carne fomitem eradicare Luxuria, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis, & magnificentius signum esse virtute patientia truculentos motus iracundia cohibere, quàm aeris principibus imperare.* S. Hieron. super illud Matth. 21. v. 15. *videntes Principes & Pharisei mirabilia, quæ fecit, sic scribit: mihi inter omnia signa, quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabilis, quòd unus homo & illo tempore contemptibilis potuerit ad unius flagelli verbera tantam rejicere multitudinem; ignem enim quiddam atq; sidereum radicabat ex oculis ejus, & divinitatis Majestas lucebat in facie ejus.* Origines super Joan. hæc habet: *hoc majus est miraculum eo, quo aqua conversa est in vinum, eo quòd ibi inanimata materia, hic vero tot mille hominum domantur ingenia.* Utrumq; horum PP. citat & sequitur S. Thomas 3. P. 2. q. 44. art. 3. in corp. Ergo tanta mutatio animorum per Lutherum & Calvinum facta præstat omnibus miraculis Papistarum. Unde Luther adversus

fus Hircum Lipsiensem Tom. 7. Germ. Wittenberg. fol. 147. *Pro miraculo summo jactat, doctrinam suam tum subito in omnem terram propagatam fuisse, tantaque tricas, ac discordia commovisse.*

LII. Error iste non consonat cum reliqua Sectariorum Doctrina. Nam alibi dicunt, Deum, apud solos Papistas permittere, fieri à diabolo miracula, & per horum carentiam eximunt Lutherum & Calvinum ex numero Pseudoprophetarum, sic discurrentes. Pseudoprophetae fecerunt miracula. Lutherus & Calvinus nulla facerunt miracula; Ergo non fuerunt Pseudoprophetae. Hic ajunt, miraculis se abundare; quomodo hæc duo coherent? Adhæc si omnia Catholicorum miracula sunt dæmonis præstigiæ, cur non Deus, ut supra jam diximus, talia mendacia miracula, apud alias falsas Sectas fieri per diabolum permittit? nunquid opinione ipsorum Lutherano- rum Doctrina Calvinistica, Anabaptistica &c. æque est falsa, quàm Catholicorum? In discursu, per quem Lutherus & Calvinus ex numero Pseudoprophetarum eximere conantur, vel major sumitur universaliter, vel partialiter. Si prius; est falsa: si posterius, nulla est consequentia, quia malus est Syllogismus.

LIII. Pro refutatione ejusdem erroris, & assignati miraculi à Luthero & Calvino occurrit, quod Ælianus Lib. 12. de variet. histor. scribit de Socrate & Castilla in pudica fœmina; cum enim ista exprobraret illi dicendo; tu neminem ex meis amatoribus unquam propter alienum à me reddere: at ego quoties tuet, tuos auditores à te traho ad me; Sapienter respondisse Socratem, mirum hoc non esse; *Tu enim ad declivem voluptatis tramitem omnes trahis, & hinc: ego ad arduum virtutis callem cogo & impello.* Annon simile quid liceat nobis dicere de doctrina Sectariorum, & Ecclesiæ Catholicæ; quod ista ad summa virtutum impellat: illi ad ima vitiorum ruere permittant. Respond. igitur, nullum prorsus esse miraculum, multos Papistas in partes Lutheri aut Calvinii fuisse tractos. Nam Ecclesiæ Catholicæ dogmata nonnihil aspera, & inimica sunt carni: At verò dogmata Lutheri & Calvinii blandissima fuerunt theoremata; quid enim hominibus, qui tunc temporis admodum vitiosi, & carni dediti erant, quid, in quâ, potuit suavius, gratius, & optabilius propinari, quàm doctrina & persuasio, non esse jejundum, non esse faciendam apud Sacerdotes peccatorum omnium exhomologesin, non esse bonis operibus insudandum, non esse servandam paupertatem, castitatem, & obedientiam voto promissam, non esse prohibendum matrimonium Sacerdotibus, non severum tribunal, non purgatorium, non infernum esse timendum, sed solam fidem in Christum sufficere, & hanc amplissimas aperire cœli portas &c, Ergo mirum non fuerit, si tam amœna & carni faventia dogmata obvius ulnis plurimi hominum sceleratorum amplecterentur, & pleno ore exocularentur.

LIII. Ad rem etiam propositam facit, quod idem Socrates cuidam vehementer admiranti, calcem suam noctu à muribus fuisse arrosam, pulchre in hunc modum respondit: *Species quidem aliqua esset proligy, si ex adverso calcem mures arrosisset, verum cum hi soli damnum attulerint, nullus justæ admirationis est locus.* Ita prorsus de hoc miraculo Lutheri & Calvinii fas est nobis ratiocinari; cum ipsæ prodigium futurum fuisse, si Lutherus & Calvinus

obstruatas hominum aures & oculos invenisset, nec tam avidè à multis aliis voluptatibus inhiantibus dulcis & mellita illorum doctrina admiffa fuisset. At nunc quando doctrina hæc succatagenas, & amicta dolosis illecebris in plurimum animos se se protinus insinuavit, quid hic per Deum immortalem potest esse miraculi? Nam, ut ait rectè poëta: *Prona venit cupidus in sua vota fides,* hoc est, quod quisque cupit, & verum esse desiderat, ei non magno labore, ut id verum esse credat, persuaderi potest.

LIV. Ex his clarissime apparet. 1. Ridiculum esse miraculum, quod Lutherus & Calvinus multos Catholicos illecebris & mendacibus suis doctrinis seduxerint. 2. Falsum esse, eorundem doctrinam in omnem terrarum partem fuisse propagatam, cum paucæ provinciæ solius fere Germaniæ ab ea fuerint inquinatæ. 3. Impium & blasphemum esse, quod iidem hæresarchæ diabolicam suam animarum seductionem eum vi & potentia Christi in animos hominum comparent, & adductis Patrum sententijs illam confirmet. Lutherum cum diabolo de fidei dogmate disputasse, atque argumentorum vi superatum Ecclesiam Romano-Catholicam oppugnasse: eundem etiam Augustæ à Maximiliano Imperatore visum fuisse in humeris cacodæmonem portare, passim ex libris constat. Quid huic sceleri, discipulo & familiaris socio diaboli simile cum Christo & Sanctis Patribus? Quàm remotæ igitur sunt infernales diaboli machinationes à cœlestibus Dei operibus, ita aliena est à miraculosa hominum conversione scelestissima eorundem hominum deceptio, & ab Ecclesiæ Catholica fraudulenta averfio per Lutherum, & Calvinum hæresarchas facta. Videatur libellus P. Foreri, cujus titulus: Lutherus Thaumaturgus.

## CONTROVERSI A XXIII.

### DE MARTYRUM CONSTANTIA,

**N**ihil homo pretiosius habet, quam vitam suam; *pellem pro pelle & cuncta, que habet homo, dabit pro anima sua, Job. 2. v. 4.* Quare dignissimum creditu est, Religionem illam esse veram, pro quâ innumeri homines summâ fortitudine & constantiâ vitam suam inter crudelissima tormenta profundunt; quippe nec fieri, nec permitti à Deo potest, ut tantos sustinerent cruciatus pro falsâ religione illi, qui Dei timore ducti vitam perdere, quàm Deum offendere maluerunt; ut proinde allatis veræ Ecclesiæ Notis, jure merito invictam SS. Martyrum constantiam adjungamus.

✠:o: IHS. :o: ✠  
✠:o: ✠  
✠

## PARS PRIOR

## DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **N**omen Martyris laxius usurpatum omnibus illis tribuitur, qui pro Deo aliquid asperius tolerarunt, ut carceres & exilium citra mortis periculum; proprie tamen ex usu Ecclesiae Martyr Graece, Latine Testis appellatur, qui veritatem Fidei non tantum verbo, sed etiam ipsius vitae contemptu protestatur. Unde Martyrium describitur apud Dicastillo Trac. 2. de Bapt. Disp. 3. Num. 3: *Cruciatu lethali susceptus pro Christi Fide aut vera Virtute.* Iuxta quam definitionem ad rationem Martyrii tria requiruntur. 1. Mors violenta. 2. Mortis causa honesta. 3. voluntaria permissio, quae singula paulo pluribus explicanda.

II. Observandum circa 1. ad Martyrium non requiri mortem directam intentione illatam; dummodo persecutor velit malum inferre, unde mors, quantumvis praeter ejus intentionem, sequatur: item opus non esse, ut mors reipsa sequatur, modo tantum nocenti inferatur, ut omnibus circumstantiis pensata vitam elideret, nisi divino miraculo impediretur. Ratione prioris Sylverius, Marcellus, alijq; in exilium missi: Ratione posterioris B. Virgo Maria annumerari Martyribus debent. Circa 2. ad Martyrium etiam sufficere, si quis propter quodcumque virtutis opus ad Deum aliquo modo relatum mortem patiatur. Hinc S. Colmannus, S. Sigismundus, & S. Emeranus in Martyrologio Romano pro Martyribus referuntur; eorum quippe interfectores a diabolo fuerunt instigati ex odio fidei & Christianae virtutis, quae miri in eis eluxerunt. Circa 3. in parvulis non requiri consensum in mortem, ac proinde absque hoc consensu Martyrium vim habet ex opere operato justificandi parvulos a peccato originali, eorumque animas salvandi, ut communiter docent Catholici DD. cum S. Thoma 2. 2. q. 124. art. 1.

III. De Adultis gravis est Quaestio, utrum scilicet Martyrium seu mors pro Christo, quamvis non tolerata ex affectu charitatis erga Deum, aut cum contritione perfecta, sed cum attritione sola, justificare illos ex opere operato possit? Sententia communior & verior est affirmativa. Nam si dilectio Dei super omnia aut contritio perfecta essent necessariae, nunquam Martyrium conferre posset gratiam primam justificationis; quia haec jam haberetur per ipsam dispositionem. Atqui hoc penitus enervat promissiones illas Christi (Matth. 10. v. 22. & Lucae 12. v. 8. *omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo.* Marc. 8. v. 38. *qui perdidit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.*) omnique plane efficaciam reddit prorsus vacuas, ut pluribus & bene ostendit Esparza q. 41. de Sac. in com. art. 5. Ergo &c. Haec gratia martyrii confertur in tempore certo ac determinato, quod immediate sequitur illud instans, in quo verum est dicere: nunc causa mortis moraliter inevitabilis nondum perfecta est, immediate autem post perficietur; Et licet Physice fieri possit, ut aliquis gratiam illam martyrii postea iterum amittat, practice tamen ex Dei Bonitate & providentia nunquam id continget. His obiter praemisit.

IV. *Doctrina prima.* Martyrum constantia est certum argumentum verae Ecclesiae Christi. Ita communiter Catholici DD. Nam licet testimonium fidei ab homine datum per se non sufficiat ad istum effectum, siquidem & fallere & falli potest, si tamen istud a Deo ratum habeatur, & quasi subscribatur, maximum pondus habet, cum Deus essentialiter verus sit, & nec decipere nec decipi possit. Atqui Deum testimonium hominum habere ratum, & quasi subscribere ex eo nobis satis manifestatur, quod singulari ac supernaturali auxilio ad testimonium hominum, actum scilicet martyrii concurrat, siquidem iste superat vires naturae; etenim licet universim loquendo mortis tolerantia vires humanas non excedat, cum multi in bello heroice moriantur, attamen tali modo sive cum talibus circumstantiis, quibus Martyres passi fuerunt, nullus militum mortem subijt. Sunt autem tres circumstantiae in Martyribus observatae dignae. 1. Fragilitas personarum patientium v.g. senum, mulierum, puerorum &c. 2. Acerbitas tormentorum, quae fuerunt diuturna, multiplicia, & exquisitissima. 3. Geherositas animorum martyrium liberrime acceptantium, in cruciatibus praegaudia exultantium, & pro tortoribus Deum orantium, ut illis ignosceret, quae plane omnia non sunt naturalia, nec in militibus aut latronibus unquam observata; unde multi spectatores conversi sunt, ut Patres pro axiomate haberent: *Sanguis Martyrum est semen Christianorum.*

V. Quod autem Martyrium sit testimonium a Deo confirmatum & quasi subscriptum a simili sic suadet. 4. Reg. cap. 5. Naamon Syrus iter instituit in terram Israel ad Elisaeum Prophetam, cui Rex & facultatem concessit eundi, & litteras dedit ad Regem Israel quibus Naamum suum commendavit, & iter ejusdem adjuvans prosperavit. Quis jam dubitet praedictum iter, licet a Naaman susceptum fuerit, a Rege tamen plenissime confirmatum & quasi subscriptum fuisse? Cum igitur Deus cursum Martyrum singulari providentia dirigat, & potenti auxilio adjuvet & promoveat, nulli dubium esse debet, quin testimonium Martyrum ab ipso etiam sit confirmatum & quasi subscriptum; siquidem talis Dei operatio est signum complacentiae, sicuti fuit in Rege Syriae litteris ac mandato ad Regem Israel iter Naamon famuli sui prosequente.

VI. *Doctrina Secunda.* Sola Ecclesia Romano-Catholica tales Martyres eosque innumeros habet. Prima Pars doctrinae, quod Ecclesia Romano-Catholica innumeros Martyres habeat, constat ex historia Ecclesiastica, ex qua refert Granadus 2. 2. de Fide, fol. 36. singulis diebus anni in Martyrologio assignari posse triginta millia Martyrum. Card. de Lugo Tom. de fide fol. 186. scribit, numerum Martyrum collectum excurrere ad undecim Milliones, inter quos plurimi fuerunt Romanae Ecclesiae Papae, Episcopi, Sacerdotes, Clerici, ac Religiosi. In sola Civitate Magrana cum Aretha urbi Praefecto ac nonaginta quinque annorum Sene in mortem ac Martyrium laetabundi ruerunt 390. concives ac socij. Sacerdotes ac Ministri omnes uno igne cremati inter preces ac laudes Deo plucherrime Sacrificarunt. Puella duodecim annorum in faciem Dunaanii sputo pugnavit, eademque cum Sorore ferro jugulum tenuere dare non abhorruit. Utriusque sanguinem mater

mater ore libavit, & mox suum miscuit. Et Oetaus quinquennis puerulus cum pro matre supplicasset, nihilque impetrasset, suam etiam mortem oravit, & lacrymis peroravit, ac blanditijs savientem Tyrannum morsu provocavit, nihilominus servandus custodiam fefellit, & ad matris sinum per ignes ad Cœlum evolavit. Ecce in una Historia personarum patientium fragilitatem, tormentorum acerbitatem, animorum perferentium generositatem, quæ omnia unâ die spectanda dedit Christiana virtus, & Romano-Catholica Fides

VII. Nec verò in primitiva tantum Ecclesia, tam insignes Martyres seu Testes habuit Christus, habet etiam nunc in Japonia, & ut vocant, Novo Orbe primis illis Martyribus nihilo inferiores. Ibi namque cum Anno 1613. gravis in Christianos exarsisset Regis ac Principum persecutio, Christiani permulti etiam è primâ nobilitate bonis omnibus exuti, in exilium pulsi sunt, quam multam non tantum libenter pro Christo pertulerunt, sed etiam nomina sua Governatori detulerunt Christianos se professi, & intera sodalitate Martyrum instituerunt, cujus primâ regula erat: *Si pro fide Christi bona adimantur, hoc spoliū forti & libenti animo tolerato.* Secunda: *pari constantiâ & animo exilium & mortem pro Christianismo excipio;* id quod re ipsâ plurimi præstiterunt. Arimæ Regulus cædi Christianorum tribunal exērat, diem dixerat, mox ad viginti Christianorum nullia ultrò se ibi stiterunt, ut se Christianos profiterentur & Martyria tum spectarent, tum obirent. Territus Tyrannus cessit, & paucorum nece furorem satiavit. Ex illis octo vivos cremari iussit, inter quos erant Pater & Mater cum Filio & Filia; hæc Magdalena nomine 20. annorum Virgo exultans in medijs flammis carbonēs ardentes capiti imposuit (quod apud Japonas magnæ reverentiæ est signum) ut se prunis istis quasi purpureis rosis, aut cædentibus carbunculis coronaret: Frater ejus Jacobus duodennis solutis igne vinculis prunas calcando, festinus ad Matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit, terque Sanctissima Nomina JESU & Mariæ contentiōri voce inclamans beatæ Matris gaudia cumulans ad ejus latus extinctus corruit. Ita Nicolaus Trigautius in Triumphis Japonensibus Lib. 2. cap. 25. Videatur historia Martyrum qui in Japonia pro Romano-Catholica Religione horrendas & intolerabiles penas sustinuerunt, vel occisi sunt, scripta per Reinerum Gisberti, & relata apud DD. à Walenburch Tomo 2. prope finem fol. 299. Pulcherrime in rem præsentem S. Hieron. ad Hedibiam q. 12. *Triumphus, inquit, Dei est passio Martyrum, & pro Christi nomine trāoris effusio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tantâ perseverantiâ stare martyres, atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in Gentes, & subita iacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata & divitijs studens ac securâ confessio est, sed in carceribus, in persecutionibus, in fame, in nuditate, & siti. Hic Triumphus est DEI Apostolorumque victoria.* Sic ille.

VIII. Secundæ Partis ratio est; solam scilicet Ecclesiam Romano-Catholicam habere tales Martyres. Quia hæreticus homo v. g. Lutheranus aut Calvinista non est Martyr, etiamsi propter mysterium S. S. Trinitatis à Turca vel Gentili interficiatur; quippe non moritur pro Fide, sed pro sua

imprudenti opinione; siquidem hæreticus nullum amplius articulum fide honestâ, nec dum divinâ credit, cum nullo prudenti motivo credulitatis ducatur, ut turpis illius inconstantia prodit; sine fide autem honesta & divina neminem posse Deo placere, constat ex Script. ad Hebr. 11. v. 6.

IX. Quapropter quantumvis Donatistæ summâ ambitione mortem oppetiverint, & ubi defuit occisor, sibimet quandoq; necem intulerint. Similiter in Concilio Constantiensi Joannes Hus & Hieronymus Pragensis ob pertinaciam hæreseos flammis exusti, quantumvis in medio incendio cantasse ferantur laudes & hymnos, nihilò propterea meliores fuerunt, aut martyres evaserunt, quia, ut ait de hæreticis S. Cyprianus in Lib. de unit. Eccl. *ardeant liceat flammis, & ignibus traditi vel objecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pena perfidia, nec religiosa virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.* Rationem reddit S. Augustinus Lib. 1. de ferm. Dom. in monte, dum ait: *Nam multi hæretici nomine Christiano animas decipientes multa ralia patiuntur, sed ideo excluduntur ab illa mercede, quia non dictum est tantum: beati qui persecutionem patiuntur, sed additum est, propter justitiam. Ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia, quia iustus ex fide vivit.* Idem Epist. 204. Donatum hæreticum sic alloquitur: *fortis ab Ecclesia constitutus & separatus à compage & vinculo charitatis æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.*

#### PARS POSTERIOR.

#### ERRORES HÆRETICORUM.

X. **E**rror Primus est. Martyrium non esse certum veræ Fidei ac Ecclesiæ argumentum; siquidem etiam Gentiles, Judæi ac hæretici pro falsâ sua fide moriuntur. Manichæi à Justiniano Imperatore convocati, ut veliorem suum retractarent, vel flammis exurentur, omnes contubusunt, nullo converso, ut refert Baronius Anno 685. & ex eo Spondanus. Similiter, ut recens diximus, Donatistæ non solum oblatum martyrium acceptarunt, sed etiam ultrò quæserunt; imò nonnulli sibi ipsis violentas manus intulerunt, sperantes fore, ut à suis colantur, ut martyres, sicut ex Baron. scribit Spondanus Anno 414. num. 3. & alibi. Idem traditur de Albigenibus alijsq; hæreticis.

XI. Contra hunc errorem stat D. Iustinus Martyr, qui Apol. 1. ad Senat. Rom. testatur, se maxime fuisse motum ad fidem & Ecclesiam Catholicam à Constantia Martyrum. Eodem argumento utitur etiam Lactantius Lib. 5. divinarum Institutionum cap. 13. & 14. & alij antiqui Scriptores passim, idque meritò. Quia nullo modo vero simile est, eam fidem ac Ecclesiam esse falsam, quam innumerabiles omnis ordinis, sexûs, & ætatis homines pietate in Deum, vitæq; sanctimoniam conspicui sic amplexi fuerunt, ut illi Fidei res omnes, vitamq; suam inter acerbissimos cruciatûs postponere non dubitaverint. Talis autem est Fides & Ecclesia Catholica. Ergo nullo modo verosimile est, eam esse falsam.

XII. Major claret ex eò, quod Deus pro Bonitate suâ inquirentes se non deserat juxta illud Ierem.

Jerem. 29. v. 13. *quæretis me, & invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro, inveniar à vobis.* Et Amos 5. v. 5. *quæretis me, & invenietis.* Atqui innumera- biles isti Martyres per mortem & acerbissima tor- menta Deum quaesierunt, veram ejusdem Fidem & Ecclesiam restando. Ergo invenerunt. Minor verò, quod SS. Martyres fidem & Ecclesiam Ro- manam sanguine amplexi, & pro ea mortui fue- rint, inde constat, quod ipsimet Sectarij farean- tur, celeberrimos & Ignatios Martyres cum do-ctrina modernæ Romanæ ac Catholicæ Ecclesiæ confensisse, & à pura & Apostolicâ (ita nova & falsa sua dogmata vocitant) descivisse. Sic scri- bunt Centuriatores Magdenburgici in præfatione Centuriæ secundæ ad ducem Saxonie: *deploratio- ne dignum est, quod tam citò magnæ obsecrationes magno- rum articulorum fidei sensim incidere, summi enim Ec- clesiæ Doctores (nempe Ignatius Martyr, Polycarpus, Irenæus, Iustinus &c.) suas quasdam opiniones habue- runt, quibus sequentibus temporibus Ecclesia quassata & iurbata est. Nam doctrina de libero arbitrio, statim hoc sæculo cepit vitari, nimumq. viribus humanis tributum fuit &c. Operibus justificatorum plus quàm debebant, ad- scriperunt, quod fortè, inquit, ex errore & necessitate honorum operum ad salutem præmanavit. Martyria San- ctorum sentire ceperunt esse peccatorum expiationes &c.* Similia plura ex iisdem affert Valentia. Tom. 3. fol. 70.

XIII. Respon. ad argumenta Adversariorum. Negando, veteres hæreticos fuisse martyres, ve- ramq. habuisse constantiam supernaturalem; si- quidem ex ipsis circumstantijs apparuit potius pertinacia naturalis, vel diabolica. Nam inprimis non fuerunt homines delicati & imbecilles, sed duri, crassi, & feroces: item non pietate, eru- ditione, inorūque probitate conspicui, sed impietate, inscitia, & vitæ improbitate notati, in quem modum huic objectioni occurrit D. Chryso. Hom. 4. in I. Epist. ad Corinth. cap. 7. Deinde tormenta non fuerunt tam atrocita, sed unicum ictum gladij sustinuerunt, nominatim Albigenes: nec tot divitias & honores aliaque mundi retinaculo habuerunt, aut sperare poterunt, si vitam producerent. Demum modus patiendi non æqua- vit nostros Martyres; etenim valde impatientes, querulos, & maledicos se exhibuerunt, ut tradit Cyprian. Lib. contra Demetrianum inter alia di- cens: *putatis nos adversa vobiscum equaliter perpeti, cum eadem adversa videatis à nobis & vobis non equaliter sustineri? apud vos impatientia clamosa & querula est: apud Nos fortis, & religiosa patientia.* Donatistæ crudeliter sæviebant in Catholicos, ut si quem ex istis deprehendissent, mox calce & aceto exocu- larent, ut refertur in cit. locis.

XIV. Si aliquando inter nostros & infideles Martyres quoad externam speciem nihil discriminis apparuit, tunc Deus internam diversitatem animorum per miracula ostendit v. g. Pionius Smirnenfis Ecclesiæ Presbyter Catholicus & Me- trodorus hæreticus simul per crucem & ignem mortem sustinuerunt, non apparente externo dif- ferentia patientiæ: at verò post mortem corpus Pionij ab igne prorsus illæsum apparuit, non capillo quidem combusto: Metrodori verò cor- pus in cineres est redactum, ut refert Baronius Anno Christi 254. Taceo hæreticos pseudomarty- res multitudini nostrorum Martyrum neutriquam respondere. De sola persecutione sub Diocleciano & maximiniano scribit Severus Lib. 2. hæc tem-

pestare omnis fere Sacro Martyrum cruore orbis infectus est; quippe certatim gloriosa in certami- na ruebatur; multoque avidius tum martyria gloriosius mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus ambitionibus appetuntur. Sic ille.

XV. *Error Secundus est.* Ipsi etiam Adversarij non deesse martyres, & quidem recentes. Nam, inquit, in Belgio multi Lutherani & Calvini- stæ propter suam fidem ab Hispanis interfecti sunt, quorum nomina in ordinem redacta, & secun- dum diversas tribus opificum distributa non ita pridem Joannes Oexius Basileæ, typis vulgavit. Paucis etiam antè annis Holandi Martyrium ali- quorum suorum prædicantium à gentilibus inter- fectorum cupro inciderunt, & in publicum spar- serunt. Sic quoque passim à Sectaris Joannes Hus proclamatur martyr, diciturque contra promif- sum saluum conductum exiit Constantiæ.

XVI. Ad hunc errorem confutandum, lubet adducere certamen Sacrificiorum inter Eliam Dei Prophetam, & Prophetas Baal, de quò 3. Reg. cap. 18. Ut ostenderet, utra pars verum coleret Deum. Sumpserunt itaque Pseudoprophetæ bo- vem unum, & in frustra concisum rogo imposue- runt, clamando ad Deum suum; quin & lanceis se vulnerando direque eruentando, ut eorum sa- crificium acceptare, & audire eos veller; sed nulla Dei responsio, nullum acceptabilis sacrificij indi- cium apparuit. Concidit igitur Elias quoque bo- vem suum & rogo suo imposuit, ad cujus oratio- nem mox ignis de Cælo descendens devoravit vi- ctimam cum rogo universo. Quid hoc ad propo- situm nostrum? Videmus inde Deum habere vi- ctimam suam. Mactarunt Baalitæ bovem suum: mactavit & Elias suum; illum respuit Deus: istum accepit; ille bos Baalitarum martyres diaboli significavit: iste Eliæ Martyres Dei. Martyres diaboli dici possunt hæretici, qui cruciant quidem, affligunt, mactant bovem suum, id est, carnem suam, sed in cassum; quippe ex communi SS. Pa- trum sententia, martyres non sunt, qui ab Ecclesia Christi se separarunt, & alteri Sæctæ associarunt. S. Cyprianus, Lib. de Unitate Ecclesiæ pag. 157. *quisquis ait, ab Ecclesia segregatus adulter & advingitur, à promissis Christi separatur, nec perveniet ad premia; qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, prophanus est, hostis est, habere jam non potest Deum Patrem, qui Eccle- siam non habet Matrem.* Et August. Lib. de Unit. Eccl. cap. 1. ait: *Ecclesia Christi corpus est, sicut Aposto- lus dicit, pro corpore ejus, quod est Ecclesia; unde utiq. ma- nifestum est, eum, qui non est in membris Christi, Christia- nam salutem habere non posse.* Ibidem cap. II. *ad ipsam ait, salutem & vitam æternam non pervenit, nisi qui habet Caput Christum; habere autem caput Christum nemo po- terit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Si- milia habet tum ipse alibi, tum alii PP. relati apud Bernardinum Vervveis in speculo veræ Ecclesiæ, fol. 51. ex quibus sic concludimus. Quicumque non habet Deum Patrem, Caput Christum, & non est in membris Christi, non est numerandus inter veros Martyres, & eos qui salutem consequuntur. Hæ- reticus, etiam si omnia tormenta sustineat, & vi- tam profundat, non habet Deum Patrem, & Ca- put Christum, nec in membris hujus est. Ergo non est numerandus inter veros Christi Martyres, & eos qui salutem consequuntur.

XVII. Hæretici in Belgio non fuerunt necati propter Fidem, sed propter crimen læsæ Majesta- tis, & rebellionis contra Regem Hispaniarum, ut

U

propter


habeatur ex Actis publicis illarum Provinciarum, ideo Martyrologium illud Basileense est merum Mendacilogium. Videri potest Becanus in Manuali fol. 714. Joannes Hus fuit venenatus & pertinax hæreticus; inter alios ejus errores Constantiæ profcriptos, hi recensentur: Hostia consecrata est merè materialis panis: Christi verò Corpus non est in Eucharistia concipiendum; nisi figurativè locutione. Confessio ad aurem nihil est, quàm hominum inventum. Papa Romanus est verus Antichristus. Nequè Rex, nequè Princeps ullus, nequè Episcopus, nequè Magistratus, nequè Sacerdos est, nisi nomine tenus, dum est in mortali peccato. Impium inventum & Evangelio contradicens est Communio in Solò Pane, excluso Calice. Ecclesia non constat, nisi ex solis prædestinatis &c. Quare meritò est à Concilio Constantiensi damnatus, salvo conductu non obstante; Nam is legitime damnari potest, non obstante salvo conductu, qui legitime convictus de hæresi, hanc abjurare non vult; quia salvus conductus, qui jure communi datur, non impedit justitiam, & juris executionem. Atqui Husius fuit legitime convictus de hæresi, hanc abjurare non voluit. Ergo potuit legitime damnari, non obstante salvo conductu.

XVIII. Cæterum probare hæretici non possunt, quòd Catholici in Concilio Constantiensi salvum conductum Husio datum violaverint. Nam Patres Husio salvum conductum dedisse, non legitimus: Sigismundus autem Imperator dedit quidem salvum conductum, at istum non violavit. Tum quia dedit in forma juris communis, id est, salva executione Justitiæ. Tum quia Husius post datum salvum conductum fugam atripuit, quæ ipsi sub pœnæ capitis ab Imperatore prohibita erat. Tum quia ipsamet synodus Constantiensis Sess. 19. optimè demonstrat, à sæculari ipsaque Imperatoria potestate per salvum conductum alicui datum Ecclesiasticæ Facultati (quippe omnino distinctæ atque superiori Jurisdictioni) nullum præjudicium generari posse, quominus de personarum erroribus inquirere & contra pertinaces ad punitionem procedere possit. Quare Joannes Hus non est combustus contra fidem datam. Nam salvus conductus solùm ab imperatore concessus fuit absq; jurium detrimento, & cæ Lege, ne sub pœnâ vitæ aufugeret, contra quam legem, cum ipse fugam capelliverit, simul concessum salvum conductum & vitam perdidit. Videri potest Becanus in manuali Lib. 5. cap. 15. Hactenus de novem, quas ab initio proposuimus, Ecclesiæ Dotibus ac Notis.

XIX. Restat quæstio. An omnes recensitæ & explicatæ Notæ Ecclesiæ paris sint conditionis: & an eodem modo ex omnibus argumentari possimus? Respond. Negative. Nam aliquæ ex illis sunt propriæ: aliæ communes. Illæ priores nulli nisi veræ Ecclesiæ conveniunt; ex quibus affirmativè licet argumentari: hæc Ecclesia habet hanc Notam. Ergo est vera Ecclesia. Hujusmodi sunt Miraculorum splendor, Martyrium, Sanctitas, &c. quæ absq; fide vera consistere non possunt. Itaque nullum est dubium, illam esse veram Ecclesiam, in qua vera Miracula, veri Martyres, homines verè Sancti reperiuntur. Posteriores Notæ sive communes conveniunt quidem veræ Ecclesiæ, sed non soli; quia etiam falsis Ecclesijs con-

venire possunt, ut visibilitas, Antiquitas, Unitas, &c. ex quibus tantum negativè licet argumentari: Ecclesia non est Visibilis, non est Una, non est Antiqua. Ergo non est vera Ecclesia. Hic tamen tres limitationes observandæ.

XX. *Primâ*, Nisi sumantur conjunctim cum omnibus Notis etiam proprijs; sic enim concludere affirmativè possum: hæc Ecclesia habet antiquitatem cum sanctitate, visibilitate, &c. Ergo est vera Ecclesia. *Secundâ*, Nisi aliæ accedant circumstantiæ v. g. si nulla Ecclesia talem notam habeat, alioquin communem, nisi unicâ, tunc affirmativè concluditur, illam esse veram Ecclesiam; sicuti si nullum animal in mundo extaret; præter hominem; rectè concluderem, illum esse hominem, qui est animal. *Tertiâ*, Ex peculiari modo, quò talis Nota communis Ecclesiæ convenit, & alijs convenire non potest, etiam affirmativè sequitur, illam esse veram Ecclesiam. Quia per talem modum Notæ aliæ communes sunt propriæ; v. g. Antiquitas & Perpetuitas non humanis viribus conservatæ; sed supernaturali Dei auxilio roboratæ sunt firmissimâ argumenta veræ Ecclesiæ; quippe Romana Ecclesia omni humano auxilio destituta, imò totius mundi ac Principum Regumque armis infestata fuit, & tamen in sua fide persistit, Deo protegente; quod est bonum argumentum veræ Fidei. Nam falsæ fidei stabilendæ utique supernaturalibus auxilijs Deus non assistit: E contra, quid quid Ethnici vel Hæretici effecerunt, id militum & armorum potentia perpetrarunt, ut patebit legenti Historias Turcarum, Arianorum &c. Nostri hæretici tam Lutherani quàm Calvinistæ nunc & ab initio armis extorserunt licentiam Fidei suæ retinendæ ac conservandæ, etiam Barbaris in auxilium evocatis, quæ stabilitas nihil divinum sapit, sed potius diabolicum juxta Poëtam: *Flectere si nequeo superos Acheronta movebo*. Audiamus de hoc parùm ipsum Lutherum. Is art. 34. publicè vulgavit, *prelari adversus Turcas, esse repugnare Deo visitanti peccata nostra per illos*. Postquam autem Leo Papa X in Bulla sua hunc art. damnavit, Lutherus pro ejusdem defensione Anno 1528. sic scribit: *fateor adhuc libere, predictum Articulum à Leone Papâ damnatum esse meum, & à me positum. Et debet articulus meus à Leone Papâ damnatus, & in condemnatus manere; modum, quò id fieri possit, indicans: Turca, inquit, manutene illum debet, & cum manu & sacro tueri; & si nolimus ex s. Script. discere, Turca evaginato acinace docere debet*. Tom. 2. W. G. fol. 536. & 338. Hactenus de Ecclesia in communi; quam ad initium Controversiarum de Ecclesia diximus distinguere in Militantem, Purgantem, & Triumphantem; de quo triplex membro deinceps ordine agendum, & quidem in primis de Summo Pontifice; tanquam de Supremo Ecclesiæ Capite.



SUM.